Ht. 9 057

1666.

3 Leibbücher

THOD. J.F. GRASWINCKELI: I.C.

MARIS LIBERI VINDICIÆ:

Adversus

PETRUM BAPTISTAM BURGUM

Liguſtici Maritimi Dominii

Aſſertorem.

BIBL. ACADEM. DORPATENSIS

HAGÆ-COMITUM.

Ex Typographiâ ADRIANI VLAC.

M. DC. LII.

Alxd.
TRÜ Raamatukogu
2067
i 43935813

ILLUSTRIBUS AC PRÆPOTENTIBUS D.

D. ORDINIBUS GENERALIBUS BELGII FOEDERATI.

Illustres Præpotentes Domini:

ITa ferè comparatum est, ut qui se præ cæteris animantibus, Dignitate, Imperio, præstare agnoscunt, sciscant illam demum esse fœlicitatem, quæ Sibi, (sed & Solis atque Unis) constiterit. Hinc magnis animis certatim præsumuntur arbitria rerum. Quantò quisq; nixus sublimiores trudit, tantò impensiùs Principem sibi Rationem constare cupit; sed omnium Principi: retur eam neque constare posse, nisi quid illa sibi sofertur, tollit imperandi jus, & cum eo, vim dominatus. Hinc li reddatur: quin imò nec esse. Extra se quidquid ad alium reilla, Regi quod lubet, licet: Reges quà lubet, eant: & quæ plura sunt istiusmodi portentorum. Rectiùs, habiti lignum gentibus sydus, fœlicem prædonem vocat)

quæ talia sunt, damnarunt, ut vasta quæ essent & infrunita, vel in cupiditatis immodico: quæ nec capiat, concupiscentem, cuique nec orbis terrarum sufficeret, si daretur, revocaturi; sin minus, vocaturi ad se. Rectiùs & ferrum rubigine consumi, Leonem minimarum avium pabulum fieri, magnas arbores diu succrescere, momento extirpari, ingesserunt. Rectissimè non esse nisi omnium, quas adierat gentium latronem: dumque ejus magnitudini nihil æquale est; cum ipsis, quæ sit improba, & semetipsum supra se protollente, spe complexus, de sublimi deturbandum. Aliud nobis sæculum: Illustres Præpotentes Domini, mores iidem. Qui nihil moderati admissuris animis placida vel subingerant, tã ridiculus sit quàm ad surdas qui Phineus aures occentet, qui cæco Thamyræ Xeuxidis fortè, aut Praxitelis opus, tabellam pictam porrexerit, quâ oculos pascat, quos nec habet. Error hic plùs quàm fanaticus, non titillat, non vellicat cerritos: correptos agit in præceps. Idem sui nimiò quàm fœcundus, aliorum se quoque ipsos impellentium, trudentium, ruentium, blanda scaturigo est: Subit dulcedo: morem usus facit: usus naturam. Hinc illius non evellendæ radices, atque in pravum induratis corrigi difficiliùs, quam frangi. Est eò deventum, ut qui Libertatem sæpe met ipsi suam jugulent, neque sentiant convulneratam; similes attonitis, stupeant lædi potuisse. Prorsus ut popularibus in Comitiis, illi Prætores factos mirentur, qui fecerunt. Contrà, rectè rem qui putant, sciunt datos à natura fines: agnoscunt omnium coercitam magnitudinem: modum assignatum

natum, ultrà quem se non attollant. Iidem, quæcumq; humanarum rerum progressus non circumscriptos in infinitum moliantur, prudenter damnant: tenent si quid in visibili hoc mundo infiniti detur, esse id Oceanum: extra Oceanum neq; quicquam suppetere, dari quod possit. Nimirum non esse quoq;, uti hîc desinat rerum natura, neq; esse, ut altera nova inchoetur, sicubi uspiam illa defecerit: Satis esse deniq;, quod ipso cũ orbe, ipso cum sole, terminetur mentibus nostris immensa hæc moles, terris vinculum, terris custodia. Facit hoc, ut illis tanto justius cupidinibus succenseamus, quibus tàm id usquedum abest quod habent, quàm id ipsum quod non habent, non adest. Hi videlicet sic se componunt, ac si Rerum ipsa Universitas nata esset ad obsequium servile; nec aliud pro claro æternoq; habendum, quàm omium dominari: sint ne dominum admissura; sintne dominii capacia; attento opus non esse: sat sibi legis in cupiditate suâ ac lubidine, ut ut vitiosissimis: Modò imperent, quidquid indefrenatis impulsibus mentis non suæ auxilio venit, cedere in normam, transire in æqui boniq; mensuram volunt. Sic vel dimissis in profundum catenis, ipsum Neptunum constringi, vinciri, duci in triumphum posse fit pro explorato. Nec est quod miremur. Difficillima Innocentia est generi humano. Habent ipsa scelera quibus se moveant, quibus promoveantur, quin & armatur pertinaciâ quidquid est calumniosi. Quò ne nihil desit summæ malorum, eò prolapsum est, ut solium Jovis attingat, tentet cœlestia, si quis sit

Facto pius, & sceleratus eodem.

Esto, ne quæratur armis præda, ne Regnum: quod modò urbi servire paratæ domini detrahantur, in obtentum plùs quàm

valet. Omnibus his colophonem successus imponit, acies victum nocentem faciens, jus sceleri datum, & infusum optimis mentibus præsentaneum venenum amor sui, Euge, euge, acclamantium strophas arripiens. Quin quòd & tandem homines ad servitutem nati, stolata mancipia, ingenium infra servos qui gestitent, acclament! Factum bonum: Verbo;

Ipso sceleris molimine Tereus
Creditur esse pius, laudemque à crimine sumit.

Querela vetus est, suppetere semper suos Lucretiæ Tarquinios; nihil tam sanctum esse, quod sacrilegum non inveniat. Sed nisi querela, committentur hæc semper & damnabuntur, ipsi qui jus fasque omne eliminavere, præter jura & fas nihil in ore habebunt. Assurgendum est in remedia. At nec illa, nisi quid è machinâ Deum, nostra dormitantibus nobis Superos confecturos somniare lubet, aliunde, quàm ex illius juris tutelâ, quod toti humani generi competit, ut loquimur, non modò pro indiviso, sed & jure sui. Illius tutela ut honesta, sic necessaria est; ut necessaria, sic neque citra damnum, dedecus, crimen, nefas, habenda despicatui. Est porrò ipsum illud jus validissimis, insuperabilibus præcinctum munimentis: arma quibus se tueatur nemo circumcidat, nihil accidat potentiam: Fors fortuna in ipsam non irruat, nisi manca. In quoscunque numeros excreverint, quantumcunque magnitudinem surrexerint, injicit omnibus vindicem manum, sibi quippe asserendis, sibi mancipatis. Subducere sese si qua conentur; fugitivis etiam suis. Togata in foro latrocinia premit, in castris sui potens, neminem congredi secum ausum, parem dimittit, terram mordere, pulverem lingere, pedibus affusum cogit, calcandum, & sibi miseram præter animam nihil, si relinquitur, beneficio ducturum. At certè nec aliud mereantur, qui concessis divinitus muneribus, homines, Deo charissimum animal, uti dum non sinunt, sibi ea in improbam servitutem demitti debere contendunt. Æquissimum est, ut edoceantur, infirmum id esse, quo ferociunt: ipsam illam feritatem, esse ab infirmitate, infirmam se prodere; dum in aliam atque aliam faciem translata, vult quæ se sint altiora: quæ data divinitus: nec insuper haberi verum sit: nec rectum luxari: ut in usus detorqueantur non suos, nulli bono. Æquissimum est ut tales, qui & scire debeant, sciant, commerciorum stabilem, sartam, tectam rationem esse debere: esse ea in bonis Reip: esse orta ex bonis Reip: tendere in Reipub. commune bonum: eòque non posse non esse publica. Æquissimum est, ut convincantur, nihil contra projectum commerciorum bonum insurgere, quod non sit per se malum: quibuscumque demum incrustamentis tegatur, non sit sollers futurum, quàm in perversum, & malo suo. Æquissimum est, ut moneantur, apud omnes quibus modò hominis superat vel vestigium, hæc, & his gemina, diris devoveri solita: si quà benignius habita fuere, transmissa fuisse, ut judicii non recta, cum æquo & bono nunquam in unam copulam conjicienda. Nec secus pote. Immensis talia, & innumeris totum genus hominum incommodis implicant: obviam nisi eatur, ne quidem sperare liceat, impli-

implicare ut abſiſtant. Non ergo hæc uni Titio, Cajo, Mœvio, uni civitati, Reipub. patriæ, inſanitur inſania, ſed toti mundo, toti humano generi. Hanc inſanire, verſare, præcipitare, nec vir bonus velit, nec bonus civis. Eſt illorum utriuſque à Naturâ non recedere: ad illius verò normam componi; etiam Sapientis. Prudentis verô, & bono publico nati, non evidentius argumentum, quàm quòd in illas partes veniat, à quibus abſcedi tota humanitas vetat, vel circumſtrepentibus illis, quæ vi potentiâque ſuis animum loco movere poſſunt aut blandimentis imparem, aut metu, quæ ſui juris ſunt, aſſerere, ac liberali manu vindicare, non auſurum. Agitur hic de benè beatèque agendâ vitâ, in quam unà cum rerum univerſo duraturam, ut in poſſeſſionem noſtram Deus immiſit, ordo Divinus ſervatam vult, ſeries rerum beat per commerciorum commoda; non data illa in diem, non fugacia, non ab uno occupanda, devoranda, ſed communia, ſed promiſcua, cum Sole & Lunâ retrovertentia, retroverſura. Ergo quidquid hoc noſtri eſt ſcripti, adornavi, ſecurus mei ac fidens: gnarus item eſſe, ut benè deſtinata ſucceſſu quandoque careant; nunquam ut indigeant: at comprimis certus, habere me pro me rationem verâ, quippe quæ ſenſibus totius univerſi inſita ſit, à quâ ſua principia derivet: mihi nec aliunde deducta: addo & patrona quæ ſit libertatis, quam cordatus nemo ſervitio implicat; nemo bonus, niſi cum animâ ſimul ponit. Nulla mihi hîc ambitio, nihil quòd in alicujus juſti vel in ſpeciem obtentus ſinu abſconditum velim. Luctuoſa, perniciosa, exitialia humano generi auriaureæ libertati obſtrigilantia, amoliri, longè habere, unum eſt inſtitutum. Cum Apicios, cum Nomentanos terrarum, ac maris bona, quoquo modo corradentes, ſuis moribus relinquo, ulciſcendos, cum ſub ictu flagellatricis conſcientiæ poſitos, ne quidem de favore deſpero. Par eſt omnes advolare ad intereſſe generis humani, modò homines ſint, haberi velint: par eſt accommodare patrocinium. Vos certè id facturos ſcio, COMMUNIS PATRIÆ PATRES, PII, FOELICES, AUGUSTI: quibus ſe aſſerta Libertas fert devotam: firmata Pietas imputandam ſciſcit ultrò: comprimis, quæ Legum ſuprema, Patriæ ſalus, toto ſe aſſe quòd ſpiret, quòd latè regnet in animis Subditorum, fatetur debere, cumque hâc illâ, quæ totius Reipub. communem ſponſionem continent, Leges; cum Legibus, quidquid juſtum eſt, quidquid honeſtum, æquum, bonum. Me quidem interim liceat nomen inter eos profiteri, qui ſub umbrâ auſpicatiſſimi Veſtri Imperii gloriosè acquieſcentes, etiam in ſummæ fœlicitatis parte habent obſequii gloriam, liberèque vovere audent ſic unicuique, ut faxit Deus, prout de Patriâ meritus fuerit.

Ill. Præp. Dom. Veſtrarum
Æterno nexu dicatiſſimus

THEOD. GRASWINCKEL.

)( )(

AD LECTOREM.

EST in hoc Opuſculo, *Candi*
Lector, quod & mihi permittam
Auctor Noſter plura habet ejus
dem Argumenti; & quidem no
adverſus Unum. Iſta jam nunc ad
fecta mordent cancellos. Cred
ſibi ab humanitate tuâ quanti
lum deberi: Scio quoque ego
ſcripta hæc eſſe publico bono: Quin Patriæ, qu
Omnium Omnes unà Charitates complectitur, ſcript
ſint, cave dubites. Argumentum ipſum Operis, per ſe
ac non convellendo teſtimonio, pervincit, ſcriptum
eſſe communi bono Chriſtiani Orbis; addatur & Uni
verſi. Si Cato viveret, quem certius Virtutis exem
plum, quàm aut Hercules fuit aut Ulyſſes, cordatiſſi
mus Philoſophorum Seneca facit, gauderet utique
quæ Urbi ipſe olim ſuæ præſtitit, ea nunc hoc ſe
neſcentis mundi deliquio, toti quà patet Orbi præſti
ri; vel hoc illo nomine contrucidatum Pompejum po
malignas quibuſcunque buſti favillas, majoris facturu
quòd de Juſtitiâ belli Pharſalici, Deos contra ipſo
lectus Judex Mundi nomine gaviſus eſſet fidem ſupe
rare: Cæterum non eſt hic mei inſtituti. Dicam præ
ciſcini, dicam quod res eſt. Plura, ut innuebam, parat, exitura in juſtum volumen. At nihil à ſe emittendum velit turbari, ad editionem magis quàm vellet feſtinam protruſo. Scit tendentibus ad metam opus eſſe properato: Scit anhelantibus ad brabæum alipedibus, inviſa, fruſtranea eſſe ſufflamina: quin nec currus ipſos, dum *Quadrupedante putrem ſonitu quatit ungula campum*, habenas audire: Novit remex brachia ſicubi remiſerit, prono amne lembum in præceps rapi: Sed & tenet, morâ valeſcere quæcumque bona ſunt conſiliorum: damnandos impetus: utpote & mala cuncta miniſtrantes, & quæ vix vitia juvenilia excuſent, nedum ut abſolvant. Id ergo Ipſi cautio eſt. Nihil ſibi probandum ſtatuit, quod non Univerſo Orbi probetur. Illi hoc, quidquid eſt, ſacravit: cætera deinceps ſacraturus, cum Bono Deo. Eundem ipſum ut lubens arbitrum ferre volet, ſic quoque geſtiet & teſtem ciere. Quod ergo meum hìc, officiosè rogo, ac nec minùs juſtè; ne quis poſt me hæc typis aliâ formâ deſcribat, ſibi nec hilum profuturus, mihi iniquus, at magis Authori, quem non aſpernanda nitentem ſequi, Jure quovis æquiſſimum eſt; ut cœptis hujuſmodi non indignus favor comitetur, complectatur. Interim & currente prælo commiſſa ſphalmata Typothetica pro candore ignoſce; ac quàm velles, quàm mereris, ſuaviter Vive ac Vale.

A. VLAC.

Nobiliſſimo, Ampliſſimoque Viro:

THOED. GRASWINKELIO

Equiti, Fiſci Patrono: &c.

Harpyiæ humani generis, mundique venena,
Ignoratæ olim peſtes, cum decolor ætas
Aurea mutaſſet nondum peiore metallo
Sæcula, cum ſine lege Pium coleretur & Æquum;
Ambitio maleſuada, & amor ſceleratus habendi
Jam cœlum, & terras, & quicquid ubique, tenebant;
(Quippe ſuperſtitio Coelum ſervire Deumque
Fecerat; & duro terras homineſque premebat
Imperio regni nunquam ſatiata libido)
Nec coelum & terras, & quicquid ubique, putarunt
Eſſe ſatis: nullâ regione coërcitus ardet
Impetus, atque alios avidè ſibi poſtulat Orbes.
Interea Mundi pars de tot partibus una,
Oceanus reſtabat adhuc immunis ab omni
Servitio, & Domino parère negaverat ulli:
Mortali Domino: magni ſed Regia Coeli
Quem tremit, agnoſcunt pariter, pariterque tremiſcunt,
Iratis quoties inſurgunt fluctibus undæ.
Ille poteſt nutu motos componere fluctus,

Com-

Compoſitoſque iterum ſolo ſubvertere nutu.
Increpat ille Nothos, tempeſtateſque ſonoras,
Frænat & oppoſitâ tumidum licet æquor arenâ.
Non ea vis homini. Sed quanta ſuperbia menti!
(Vivit adhuc Xerxes) vanâ ſine viribus irâ
Vincula Neptuno, Boreæque flagella minatur;
Et malè ferre ſuas Pontum indignatur habenas.
O pudor! ô ſtolidi præceps veſania voti!
Serviet Oceanus? quo quid Natura creavit
Uſibus humanis, populoque patentius omni?
Et tantum poterit, nullo prohibente furorem,
Ambitio maleſuada, & amor ſceleratus habendi?
Tu, THEODORE, *vetas: &, quæ tibi copia fandi,*
Hunc ſaltem Vobis, peſtes, hunc vindice dextrâ
Eripiemus, ais. Calamoq; in grandia nixo,
Dum Batavi Proceres caſtoque pioque duello
Res repetunt, patriisq; arcent de finibus hoſtem:
Dum centum latè conſternit navibus æquor,
Idem qui toties victis Væ! dixit Iberis,
TROMPIUS; *Ipſe aliter pugnas, aliterque triumphum*
Lætus agis; Victorque Virûm volitare per ora
Jam gaudes, Vindexque Maris, Fiſcique Vocari;
Lampada ſuſcipiens, Magnus quam tradidit HUGO.
Ergo SELDENUM *quanquam pro tempore differs*
Magno præludens operi, tamen ungue Leonem

Oſtendis

Oſtendis, quantuſque doces in prœlia ſurgas
Pro Patriâ, & ſancto pro Libertatis amore:
Ipſe licet veniat ſpoliis Orientis onuſtus,
Et multâ Themide, antiquiſque noviſque repertis,
SELDENUS: *cui* BURGUS *adeſt, nova prœlia tentat,*
Necquicquam: nihil omninò, Neptune, timendum:
Securo licet eſſe tibi, dum veſcitur aurâ
GRASWINKELIADES, *Aſtrææ gloria, gentis*
Præſidium Batavæ, quo non præſtantior alter
Et decus & Patriæ tutari jura beatæ,
Si tantùm Oceani fructus, campique liquentes,
Commoda conſtiterint cuivis communia genti.

ALEXANDER MORUS.

ELENCHUS
CAPITUM & NOTARUM.

NOTÆ Ad Prologemena PAG. 1.

CAP.
I. QUo Mare à Deo fuiſſe donatum humano generi, & ejus factam deinceps inter homines diviſionem, divinis oraculis eſſe approbatam. 13
II. Dominium maris inter homines jure gentium fuiſſe diviſum. 36
III. Populorum Orientalium, qui olim floruere, Maritimum Dominium. 50
IV. Occidentalium Populorum, qui quondam floruerunt, Maritimum Dominium. 75
V. Principum ac Populorum, qui adhuc florent: ac primùm Pontificis Maximi, Cæſaris, ac Venetorum Maritimum Dominium. 93
VI. Aliorum Principum & Populorũ, cum Chriſtianorum, tùm Infidelium, Maritimum Dominium. 102
VII. Maris Dominium, ejuſque diviſionem, Jure Pontificio, Patrum Theologorum Moralium, ac Juriſconſultorum authoritatibus eſſe approbata. 154

VIII. Po-

VIII. Politicos, Historicos, Poëtas, alioſque Dominium Maris agnoſcere. 161
IX. Argumenta eorum qui Maris Dominium haberi poſſe negant. 165
X. Confutatio Opinionis Adverſariorum de Rerum Communione. 169
XI. Confutantur argumenta, quibus Dominium Maris impugnatur. 181
XII. Maris Dominium non officere Libertati Commerciorum: & poſſe præſcribi. 195
XIII. Confutantur Teſtimonia Poëtarum ab Adverſariis allata. 201
XIV. Juriſconſultorum & Imperatorum Reſponſa. 204
XV. Sacræ Paginæ Oracula, quæ ab Adverſariis opponuntur, Dominium Maris non tangere. 223
XVI. Dominium Maris quid ſit. 226
XVII. Dominium Maris quomodò acquiratur, & quo pacto ipſius poſſeſſio occupetur & retineatur. 246
XVIII. De Effectibus & Viribus Dominii Maritimi. 258

THEOD. J.F. GRASWINCKELI, J.C.

MARIS LIBERI VINDICIÆ:

Adverſus *Petrum Baptiſtam Burgum*: *Liguſtici Maritimi Dominii* Aſſertorem.

NOTÆ AD PROLEGOMENA.

REcténe eos calumniæ inſimulet Præſtantiſſimus *Petrus Baptiſta Burgus*, qui libertatem maris aſſerunt; recténe eoſdem obſoletam proſcriptamq; de maris communione obtendere opinionem velit, atque hoc modo agere, ut ſpecioſo libertatis nomini applaudatur; ipſe viderit. Exordiis altùm petitis uti non lubet. Suffecerit, velle me ut exulent hinc, quæcumq; ipſum vel ullatenus læſura poſſint videri. Per me licet illuſtret Patriam ſuam, latè dominam deprædicet, ſuorum virtutes efferat, ſucceſſus attollat, ſit vir bonus, civis bonus. Laudem certè hoc nomine mereri ſentiunt mecum omnes, qui nec alios ſe haberi velint. Unum rogo;

ut invicem legitimis secum rationibus patiatur agi, non nisi illis unis ubi victus erit decessurus: ac si quæ minus rectè à me tractata sibi persuasurus sit, quem de me polliceor, eundem ad mea convellenda candorem ut adferat. Veniamus in rem præsentem.

Offendit in ipso limine titulus libri, DE DOMINIO SERENISSIMÆ GENUENSIS REIP. IN MARI LIGUSTICO. Hunc satis latinum qui dixerit, is & summa dixerit. Utiq; is, id ipsum quod tractandum suscepit, non æquat: Ei saltem quod præ se fert *Burgus* instituto, nempe ut Genuensibus suis asserat privatum maris Dominium, neq; vel ullatenus respondet. Hoc, cum ipso, agere qui volent, aliter loquantur.

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipsos Imperium est Jovis:

Horat. Latinè qui loquuntur, imperium mariti in uxorem patris in liberos, dominorum in servos agnoscunt. Est, ut in gregibus Populorum τῶν τᾶ λαᾶ ποιμήνων, in Regibus, ipsorum Regum Regis, in uxoribus maritorum, in liberis parentum, in servis dominorum elucceant imperii seu dominii jura: at sunt illa ab ipso imperio, ab ipso Dominio oppidò quàm diversa. Voluisse *Burgum* id innuere cum dicit, *in mari Ligustico*, ut scilicet, præpositio ista *in*, demonstratrix sit atq; index maritimi Genuensium imperii tam validè stabiliti, ut ex-

ternorum secura Serenissima ista Respublica, in illo suo Dominio acquiescat, tanquam in centro suo, ne quidem sibimet ipsi id esse verisimile patiatur, cum munus hoc Dominii in Ligustico mari defendendi à se susceptum primo statim Capite vocet *arduum, & sibi perdifficile; sed quod alacri animo aggrediatur, confidens ut ipsius caussæ justitiâ & debitâ in Patriam Charitate facilius evadat:* nedum ut ulli qui modò hoc ipsum illius scriptum legere volet, persuaserit. Si de *Dominii jure* quod Genuensi Reipublicæ competat in mare Ligusticum, scripsisset, neque me, neque quempiam (puto) sibi haberet adversarium: addere liceat & hoc, longè plus solidi splendoris, venerandæque illius, quam Majestatem vocamus, amplitudinis, Reipublicæ Patriæ circumdedisset. In hâc materiâ, qui privatum maris Dominium negat, non statim it eversum omnia & singula Dominiorum jura, quæ maris aut intuitu aut respectu summis potestatibus exercere liberum est: non inficiatur ulla dari. Rectè rem putantibus, sunt ea jura talia, ut si ad illa gentium religiosa accesserit observantia, quidquid circa hæc est litis, non consopiri duntaxat, verùm etiam radicitus tolli possit. Quod eò statuendum est impensius, cum clareat eadem illa jura proprietati non leviter accedere; nedum ut ab illâ resiliant in totum: Vera fatentibus, prorsus est, ut iis datis, detur etiam

quoad ipsa, & quò ad actus qui secundùm ista expediuntur, proprietas maris. Nobis ea sub aspectum edu xisse atque unico obtutui subjecisse, grave ne sit. Agmen ducat, I. Ut pro littorum longitudine & latitudine Princeps classibus defendat mare adversus piratas, & generis humani publicos hostes. II. Ut captos incerta maris parte piratas suum judicium subire velit, consentientibus ut hoc fiat aliis gentibus. III. Ut vada & Syrtes navigantibus monstrari per Pharos, aliaque media curet. IV. Ut mare inter portus quos & quot velit recipiat. V. Ut alvei profunditates, quibus ipsi visum modis juvet, caveatque ne littoribus mare appulsu suo noceat. VI. Subditis suis concedat exiguas maris circa littora maris portiunculas quæ communi usui non præjudicent. VII. Reditus piscationis exigat à subditis suis, in quos illi potestas competit: modò hac lege non obstringat alios populos ipsius imperio non subditos. VIII. Iisdem certum tempus præfiniat, quando velit illos à piscatione quiescere, quando ordiri. IX. In mari circa littora ædificet, prædia exstruat, modò promiscuus usus non lædatur. Hæc jurium pro dominii terrestris seu regni jure exercendorum est summa, quanquam non inficior dari etiam posse quæ sint his similia. Cardo quæstionis versatur circa usum communem. Nempe quoad enumerata jura, & ab illis non abeun-

abeuntia maris aliquæ partes hujus aut illius imperii propriæ esse possint. Verum quoad usum communem, qui est navigatio & piscatura omnino non possint. Secundum hoc Capite quod offendit; est, quod causam non dixerit quamobrem summa omnia professus, asserturus dominium maris, & quidem maris Liguistici, atque in suâ ad Sereniſſimum Ducem, Excellentiſſimos Gubernatores, Illustrissimos procuratores Reip. Genuensis dedicatoriâ cum edixerit existimasse se operæ pretium facturum si totam causam tractaret, omnemque rem ante oculos dilucidè perspicueque proponeret, cur cum ostendat se decisionis in hac causâ justitiam exigere velle ad definitionem quâ maris, quâ dominii: cur, inquam, eò tandem prolabatur, ut in eorum (ita vocat) calumnias & dicteria insurgat qui suis scriptis *nostrum* (verba ipsiusmet sunt) *Liguſtici ſinus imperium vellicant*. Curve alibi etiam totus in asserendo maritimo dominio etiam sinui Liguistino aptet nomen Freti. Et unum & simplex esse decet id quod asseritur directim atque ἁπλῶς. Hic totum parti, summa imis miscentur, non integro jus integri sartum: non parti partiarium. Parum esset quod, Venusini quæ sunt,

Amphora cœpta est
Institui, currente rotâ vix urceus exit;

Si vel aut rerum naturæ fieret satis, aut juri: quo-

rum hic neutrum. Non illi, aliud mare natura voluit, aliud fretũ, aliud ſinum, æſtuarium, ſtratam. Non huic dum prorſus inæqualibus æqualia jura it aſſignatum. Inæqualibus autem æqualia cum tribuuntur, nihil eſſe ipſâ æqualitate inæqualius, & Philoſophi dictum eſt, & ſanæ rationis. Sunt quidem ſinus, maris flexus, ſunt majores receſſus, examuſſim exprimit illud Virgilii *inque ſinus ſcindit ſeſe unda reductos*; at maria non ſunt, neque ſi vel dimidiatâ parte ſui mutilam definitionem maris quam *Burgus* profert tenendi lubido ſit. Idem dictum eſto de Freto, niſi quod abuſivè quandoque, ac Poëtis potiſſimùm uſurpetur pro Mari. Quanquam non eſt ut erroris hoc ipſum inſimulem ſicubi Freti nomine utitur: id enim quod Genuenſes ſeu Ligures tenent, revera Fretum eſt, & ab ora Liguriæ quam pulſat Liguſtici nomen ſortitur. Adſtipulantur hæc dicenti Itali, Galli, Belgæ; Illis Fretũ *Stretto*: his *Eſtroict*, poſtremis *Straet* (unde & noſtrates nautæ per illud & vicina freta qui currunt mare, (Gaditarum præſertim quod *Eſtrecho de Gibraltar* nuncupatur; *Straet-vaerders.*) Ergo anguſtum illud eſt; mare vaſtum, immenſum, provolvitur: totum orbem (mare ſi Mediterraneum excipias) circumvolvitur: Fretum modò inter ſuas anguſtias aquis fortius concuſſis eóque ebullientibus effervet, inde & Fretum dictum, niſi quis à fremendo malit, quem-

quemadmodum & *Sondam* Danicam à *ſonitu* ſic dictam ſunt qui exiſtiment. Sed hæc in tranſcurſu. Veniendum nunc ad definitiones, quarum utramque vitioſam eſſe, liquidò conſtat. *Collectiones aquarum mare* vocari non abnuo: ſed ſolam generalem aquarum collectionem mare abſolvere, totus nego. Tam generalis hic aquarum effuſio ſpectanda eſt, quam earundem collectio. Fluviorum *feſſas erroribus undas* (ſic *Ovid.*) *in mare deducentium* generale unum in gremium receptaculum, alveus ſit, ſit lacus, ſtagnum: mare ſi quid appellare lubet, mare mortuum: mare neutiquam erit, niſi effundatur, provolvatur, circumvolvatur: influxu ſurgat, defluxuum incapax. Quidquid influxerit ipſo ſtatum ab influxu ſtabit, non feretur in oppoſita repercuſſum, non ab extremorum uno ad alterum refundetur pariter extremum. Si intra nudam collectionem ſtare illud Deus voluiſſet, motu non erat opus: nedum illo in ſtatas horas alternante, & ad creſcentem quoq; ac decreſcentem Lunam componendo. Quid? quod & ipſa rerum magiſtra revincat experientia, fluviorum quoque concitatiſſimos, nunquam plura quinquagenis milliaribus etiam rapidiſſimis agminibus quàm intentiſſimè protruſis emetiri: nedũ ut ſeſe in medium Oceanum inſinuando penetrent. Si quid ut quantumcunq; generalis aquarũ collectio mari confer-

ferret, amaritudinem ſuam, unde ei nomen, ac ſalſugi-
nem poneret, factum quippe particeps dulcedinis à
fluviatilibus aquis ad geſtæ: Jungamus illæ Lucani:

Neque ſe ſi cuncta minentur
Flumina, vel pelago ſeſe ſubducere fontes;
Non magis ablatis unquam decreſceret æquor
Quàm nunc creſcit aquis.

Stet ergo, anguſtiorem ſuo definito hanc eſſe definitio-
nem. Id ipſum verò notari ſeriò deſiderem; utpote ſuis
deinceps locis, ubi opus erit, non perfunctoriè appli-
candum. Veniamus ad Dominium.

Vult hoc eſſe *Jus de re corporali perfectè diſponendi, niſi
prohibeatur*. Denuò mendoſè. Jus Dominio formam
ſuam neutiquam largitur, ejus in quod aſſerendi ſibi
Dominii facultas cadat, largitur media, largitur reme-
dia: à quibus cum eſt tali facultati proſpectum, habet
in quo ſe exſerat, exerceat: facultas dominandi Domi-
nium conſummat, & quodcunque in Dominio juris eſt
abſolvit, ſive animo Dominium ponimus, ſive exerci-
tio. Nulla prorſus diſtinctio eſſet Dominiorum, ſiqui-
dem intra nudum jus Dominium ſtaret. Rueret alto à
culmine quidquid eſt juris feudalis, cujus, ut novimus,
omne fundamentum in diſcretis juribus directi atque
utilis Dominii. Quod ait Burgus *eſſe jus diſponendi de re
corporali*, vitio non caret. Quid ſi enim ſit res aliena,
non

non conſtituta in poteſtate diſponentis: quid ſi non ca-
dat ſub ſenſum tactus, viſus, &c. qualia ſunt Dominii
jura, quorum non datur niſi quaſi Dominium, quaſi
poſſeſſio, quaſi ſervitus? Neque tollunt hanc difficul-
tatem quæ adjiciuntur, *quod ſit jus perfectè diſponendi*, ne-
que adjecta cautela *niſi lege prohibeantur*, nam & legans,
donans rem alienam, eo quod tantundem valeat contra
depenſo (adſit modò Domini conſenſus) perfectè le-
gat, donat. At neque quid ad Dominium prohibitio
legis, ſed ad illius habendi atque exercendi modum fa-
cit. De hoc uſurpes illud D. Auguſtini ad Pſal. 1. *Qui
eſt in lege ſecundum legem agit, qui eſt ſub lege, ſecundum le-
gem agitur*: Obſervandum & hoc, fruſtraneam hanc eſſe
cautelam, cum nulla lex exiſtat aut detur, quæ priva-
tum maris Dominium aut ſancire valeat, aut ſanciat.
Quæ itidem ut ſeriò teneantur rogamus, quò ne illis
identidem repetitis neceſſe ſit fatigare Lectoris de hac
re judicium ſibi ſumpturi patientiam.

Atque hæc quidem quo ad illa quæ hoc capite ſunt
juris. Quæ ſuperſunt, duo ſunt omnino: facti illud, hoc
intentionis. Facti quæ ſunt, tangunt ea Sereniſs: Venet.
Rempublicam, eam Virginem ſemper, Rerumpublica-
rum noſtrũ ſæculi primiceriam, tangũt Piſanam. Quam
cum eſſe deſiiſſe dicat, cum ipſemet ex albo eraſum
eat, liceat & nobis ſuæ illam dignitati permiſſam relin-

quere. Venetos *Burgus* (jurene an injuria defendat ipſe) ſemper poſt Genuenſes ponit: Sunt tamen ii orbe non Chriſtiano duntaxat, ſed & univerſo, teſte, liberi ſemper, nullius protectoris comitatem agnoſcentes, aut quâ plus protector poteſt, plura volituri, vitioſam quomodo cumq; libidinem formidantes. Hæc, quæq; paſſim hujus generis occurrunt, ptætereundi eſt animus. Cæterùm verò, pace *Burgi*, ante ipſum Sereniſſimæ Genuenſium publicæ Rei, bonorum omnium quibus hæc noſtra forte an in manus cadent deprecari liceat, ne quid putent ſilentio meo, quippiam immortali iſti Reip. abraſum me velle, nedum ut patiar Ipſam vel per umbræ ſimulacrum credere, in illius me peccare Majeſtatem. Sum plurimos ab hinc annos, imò ſemper ex quo meo me mihi judicio vindicandi facultatem benignum numen ſuppeditavit, veneratus Illam ut Miraculum libertatis, Conſtantiæ in Ariſtocratico Moderamine tuendæ Palladium. Talem illam, illam tantam agnoſco, ſuſpicio, veneror, obſervo. Non ſum poſiturus, niſi cum animæ, quam traho, ſpiramenti quodcumque illi obſervantiæ debeo & cultus, eidem etiam mecum debent omnes quibus aut candoris placet conſtantia, aut decus priſci tenoris. De quo priſco tenore cum loquor, eum intelligo qui tanto magis in omnem poſteritatem ſit tranſmittendus, quan-

to ſtupenda illa verè libertatis tradux Reſpub. rebus ipſis teſtatum manifeſtius reddidit, neque intrinſecus fuiſſe quippiam, neque extitiſſe forinſecus, quod tam viribus ſuis ſtantia, tam inconcuſſa, tam nulli temeranda etiam num vellicarit unquam, nedum convulſerit.

Intentionis quod eſt, circa fulcimen tituli verſatur. Hunc etſi noſter & ſciat, & ſcire debeat, nullum aſſignari poſſe; niſi omnibus jure bono & æquo invitiſſimis; ipſi tamen, hic certe nimium auris popularibus gaudenti religio non eſt ire exſtructum ex applauſu omnium, quibus Saracenica rabies vaſtitatem id temporis intulerat, aut certè minabatur. Genuenſes hic, Piſanos, Venetos, alteros velut è machinâ Joves arceſſit, poſt obſeſſum mare, profugum Pontificem, violata templa, ſublata commercia, miſerandam totius Reip. faciem, & quid non deniq; ? ait hoc eveniſſe inſperatò & gratuito divinæ clementiæ dono. Sed quid ad nos? quid ad titulũ à jure derivandum ? quid ad aliorum jura quæſitiſſima ſubvertenda? Phaleræ ſunt, & verborum quæ ſuo lenocinio ac mangonio veſtigent cui ſe probent, aut verius cujus mediocritati, glauromate velut objecto illudant: ampullæ meræ. Nemo eo uſque tardus & hebes, & dimiſſus in terram eſt, ut ad divinum numen non erigatur, ac tota mente conſurgat, ubi novum aliquod & veluti cœlitùs dimiſſum auxilium ſupervenit non exſpectanti, non ſperanti. Rem ipſam ſi introſpicimus

fortuitum id fuit, aut neceſſitas eorum animos commaſculavit, exagitata virtus ſtimulos ſuffecit: altiora animis ſi præſumebant, utile erat hoc ipſorum inſtituto, eſſe ſeſe aut haberi ſaltem tales, adverſùm quos non ſatis potens Saracenica illuvies videretur, quoſve rebus in extremâ tegulâ ſtantibus, ac tantum non conclamatis, tutelares vellent circumvicini. At enimvero mirari ſubit, cur dicat *Genuenſibus inferum, Venetis ſuperum mare tutandum obveniſſe*; ſi quidem non ignorat aliam tutelæ rationem eſſe, aliam Dominii, quodq; palmarium eſt, privati. Facti hic veritatem non tango. Tutari quis poteſt, nec tamen illius eſſe Dominus cujus tutelam gerit: Si Genuenſibus hoc tutamen in titulum ceſſit, proprietatis collativum, næ miſeros omnes illos, qui viribus impares potiorum expoſiti violentiæ ac lubidini, ſuæmet tutelæ non ſufficiunt, depeculandi, bonis exuendi, deruendi, toties quoties

Qui pote plus urget: piſceis ut ſæpe minutos
Magnu comeſt, ut aves enecat accipiter.

Ac nec illa attingam, quæ de jure bellico Genuenſium circa Liguſtici maris Dominium, hoc Capite præſtruuntur. Satius erit ex profeſſo hoc quodcumque juris eſſe videri poterit, excutiamus, ubi ventum erit ad Caput antepenultimũ hujus tractatus, ubi quæ hic adumbrata ſunt dumtaxat atq; obiter perſtricta, θετικῶς adſtruuntur.

NOTÆ

NOTÆ AD CAPUT I.

Quo Mare à Deo fuiſſe donatum humano generi, & ejus factam deinceps inter homines diviſionem, divinis oraculis eſſe approbatam.

ACcingit ſe *Burgas* hoc Capite quod ordine primum eſt, ad demonſtrandum *Maris Dominium* haberi poſſe. Ab ovo ut exordiatur, ait, *Dominium maris à Deo in primos parentes fuiſſe tranſlatum*: quod nego. Quæ primis collata fuere parentibus, ſpectant totum humanum genus. Facit hoc ut nulli præcluſa, nulli intervertenda ſummi Numinis beneficentia ad *Natos natorum, & qui naſcentur ab illis*, ad ultimam quæ ullo unquã ſæculo perennabit poſteritatem exporrecta in neminem privatũ, velut aliquo jure præcipui collata dici poſſit. Textus quem è verſiculo penultimo Pſalmi octavi adducit nihil minus quàm id quod velit probat. A ſeparatis deducitur, quidquid à ſubjectione volucrum cœli, animantium terræ, piſcium maris ad privatum illius dominium detorquetur. Repetitam hanc à Summo Motore, confirmatamque Humano generi donationem, quod ex citato ſibi *Geneſ.* 9. commate 2. cupit, nihil agit. Quippe ut mox di-

ctus Psalmus loquitur de Dominio in creaturas; ita etiam locus iste *Geneseos*: Ex illo utique aliud nihil inferas, quam id temporis Dominium in creaturas quadam tenus humano generi fuisse restitutum. At verò locorum istorum neutro aut volam deprehendas, videasve vestigium, quo mare privati Dominii esse, vel esse posse liqueat. Quod, ait *Dominium hoc maris eluvione deletum fuisse*, perperam facit: neque enim sint accidentia non entium, delerive potuerit quod nunquam extiterat. Habitum privatio supponit: privationem si cui persuasam cupit; doceat habitum. Abit & hoc à veritate, *quod Noacho ejusque filiis, iterum terram, mare, aërem, donarit Dominus Deus*. Non habet hoc Sacer Textus. Sic ille: *Terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ, & super omnes volucres cœli cum universis quæ moventur super terram: omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt*. Quorsum hæc? ut mare privatis substernatur imperiis? nihil minus: addit quippe Deus immediatè. *Et omne quod movetur & vivit, erit vobis in cibum, quasi olera virentia tradidi vobis omnia; nempe tradidi quatenus vobis salutaria sunt, quatenus utilia ad vescendum*. Neq; enim talia sunt omnia; neq; enim viperas & ferale virus circumferentes belluas esui destinatas quis velit. Quare patet, sic universaliter loqui Numen, cum omnia in manũ data edicit, ut eis uti possimus pro libitu ad utilitatem nostram, sive ad cibum, sive ad remedium, sive ad laborem, sive ad solatium, imo ut his

his non solum uti possimus, sed ea quoque occidere, & mactare, absque ullo reluctantis conscientiæ morsu, ubi utilitas nostra hoc flagitat. Confertur in animantia, volucres, pisces, jus vitæ ac necis; ut olera desecare liberũ, sic & illa trucidare. At nihil hoc pro *Burgo*; qui commentitiam suam hanc donationem non toto illo modo quod pro se adduxit Capite, sed neq; usquam in Sacro Codice inveniet. Allatis solùm à sese pressius incumbés *Burgus*, ait declarari hanc ab Apostolo donationẽ, cum inquit: *Cum omnia homini subjecerit, nihil excepit præter ipsum qui subjecit Deum* Εν γαὰρ τῶ ὑποτάξαι αυτῶ τὰ πάντα ἀδεν ἀφῆκε αυτῶ ανυποτάκτον *Supponens enim ipsi cuncta, nihil reliquit ipsi non subjectum specioſe*. Infert porro omninò necesse esse ut mare Dominio hominum subjectum esse dicamus, nisi quid mare dicere velimus, aut Deum esse, aut nihil. Donationem porro hanc per expressionẽ ususfructus vult intruductam, solito Sacræ Scripturæ idiotismo, quo res ipsa per usum fructum exprimitur factum communem toti humano generi. Cæterum hoc ut ut speciosum, non stringit nisi in speciem. Fatemur mare non eximi cum mors ipsa non eximatur; agitur enim d. l. de Imperio Christi, à quo non Sol, non Luna, non Astra, nedum Elementorũ ulla eximantur. Itaq; si Psal. octavus unde hi loci desumpti sunt, primitus de homine universim loqui videatur, constat de Christo intelligi debere. Ex quo rectè cólligimus: quod Christi est, etiam eorum

eorum est qui Christi sunt. Distribuit ille regnum suum nobis, ut quod quisque accepit seorsim sibi habeat, aut privatim, 1. Petr. cap. 4 vers. 10. sed ut dispensator bonus utilitati omnium servire facit. Primæva illa bonorum communio reducitur sub Christo, vel potius adumbrata in Paradiso, veritatem nanciscitur sub Christo. Si enim unitas animorum, perfectissimi status argumentum est; certè neque rerum quæ possidentur discreta dominia erunt sub regno Christi. Dixerit quis, hoc in futuro demum sæculo fore. Ad stipulantem me sibi in isto & ipse est habiturus. Agnosco communionem bonorum ex hoc non mandari, unicum tamen videtur servire hæc posse ad divisionem stabiliendam: etiam hoc addo: contendendum semper, ut ad ea quæ perfectioni magis affinia sunt accedamus quâ fieri potest. Exemplo primitivæ Ecclesiæ, quæ communionem bonorum aliquam diu servavit authoribus Apostolis, intelligens haud dubiè cum genio regni Christi apprimè convenire. Augescente verò Ecclesiâ, laudari magis quàm præstari dicta cummunio occœpit. Hactenus tamen commmunio mansit, ut possessio cuique sua, proventus tamen eorum quæ possidebantur, & usus, aliorum quoque necessitatibus impenderentur ac servirent. Exemplum illius in deserto populus Israëliticus: cui neque quid superfuisse quippiam, quem-

quemque nec ullam passum fuisse penuriam Sacræ Litteræ testantur. Sed enimvero deprehendo *Burgo nostro* arrisisse quod habet autor Epistolæ ad Hebræos c. 2. *Nihil reliquit non ei subjectum.* quæ verba citato mox Ps. 8. leguntur. At meminerit velim, ista non in animali, sed in spirituali homine locum habere: id est non in typo, sed in antitypo. Ut & illa: *Constituisti ipsum supra omnia opera manuum tuarum*: An non & Cœli, & quidquid continent, an non & Angeli, Potestates, Throni, & quod cumque demum est cœlestis Hierarchiæ Christo subjiciuntur? breviter, an non omnia, uno Deo excepto? Facio finem, non agnosco ex citatis istis *Pagini Sacræ locis*, qui de *Christo* loquuntur, collægi posse omnia sic in possessionem data esse ut nihil sit ipsi ανυπότακτον. Atque, ut reor, id unum solutioni satis.

Quoniam verò in animum induxi hoc opere nostro non tam Victoriæ quàm Veritati consulere. Potiora etiam *Burgo* nostro præstare lubet, & Psal. 8. quem duntaxat ipse in margine allegat, ipsis verbis illius insuper habitis, excutere. Post quam dixisset Regius Propheta, *omnia supposuisti sub pedibus ejus*, enumerat oves, boves, bestias feras, volucres cœli, pisces maris. Subjecta hæc fateamur homini animali, dummodo non, diffiteamur aliâ ratione homini animali fuisse subjecta, aliâ Christo. Nusquam sanè in Sacro Textu oves &

boves Christo dicuntur subjici: Sed principatus ἐξουσίαι, δυνάμεις, θάνατος. 1. Cor. 15. Eph. 1. Hæc nihil ad hominem animalem spectant, toto asse ad Christum: ut pote qui omnia poterat Verbo Virtutis suæ. Referantur. Quæ animali subjiciuntur, non ulterius sunt extendenda quàm quatenus apta sunt illius usibus inservire; aut quatenus ratione destitutis ac brutis imperat beneficio intellectus: inter feras enim multò plurimæ sunt quæ viribus præpolleant. Novum certè & inauditum sit, ut per pisces maris ipsum mare intelligatur. Eâdem ratione etiam ipsum cœlum sub volucribus cœli accipiendum sit. Quod si cœlum proprii Dominii esse non potest, neque etiam homini erit subjectum. neque ideo mare homini subjectum sit, quia subjiciuntur ipsi pisces: Compendio ut dicam, quod ei sive donatum fuit, sive restitutum, id demum fuit in animantia cuncta imperium. In alimentum cesserunt fructus terræ. Quamquam, quod & supra notabam, non cesserunt soli. De quo, consulat ad d. locum ad unum omnes, quotquot sive è veteribus sive è neotericis in Genesin sunt commentati. Quod verò dicit Burgus, *Deum rerum creatarum Dominum esse, & Dominium in hominem transtulisse, Dominum verò etiam maris esse*, ut est in Psal. 88. qui nobis 89. non est quod magnopere nos commoveat. Vel ipse ille allegatus locus eum absurdo

surdo & impossibilibus sese implicare pervincit. Ait enim, *Tu dominaris impetuoso mari, Tu fluctus ejus compescis dum sese elevant.* Quis non agnoscat Prophetam de incomparabili imperio Dei loqui? Similiter Job. 38. 8. *Qui mare ostiis concluſit quum erumperet, quasi de vulvâ procedens.* Ergone jam in hominem insigne ac verè tremendum illud miraculum cadat, quod mare, cum totâ tellure sit altius, maximisque exagitatum tempestatibus in illam irruat turbatissimum, & jam jam omnia ut timetur hausturum, sese in terram effundere nequeat, stet immotum, innoxio appulsu littus percellat? Jamne homo iratus & in vindictam pronus est ut mare habeat instrumentum sibi ad exigendam vindictam, ac quasi vertex illius & ostia ac valvas recludat, aperiat, quod Deum sæpe facere videmus? Apage. Nonne generalis ille qui totum terrarum orbem superadobruit κατακλύσμος, genusque humanum omne uni excidio involvit, docet plus satis nullius hominis arbitrio mare subditum fuisse? Hoc ut exeat noster, sentire videtur donationem illam quam primitivam nugatur, id temporis fuisse revocatam: ait enim Deum restituisse eam. Sed confutatum id jam nunc. Nihil est quod adjungam, nisi hoc unum, minus rectè dici, aërem iterum donatum fuisse, quasi usus aëris sub diluvio fuisset ereptus.

Quod porro ait Adami filiis in hunc mundum tanquam in ampliſſimam domum opibus refertam venientibus, ut quiſq; prior aliquid occuparat, ei etiam ceſſiſſe Dominium, aut ſi eis quacumq; diſconveniret, ſorte rem fuiſſe deciſam, id vero, & nos quoq, & ambabus, quod ajunt, manibus largimur. Ita eſt, eodem quo nos utimur jure, ut ut in mari, de quo controverſia eſt, quos quiſq; piſces princeps occupaverit, jure naturali dicit ſuos. Sed pernegamus ut quis ideo mare ſuum dixerit, quia piſces ex illo tulerit, cum ne quidem terram diceret ſuam, ſi fructus ex eâ tuliſſet, conſtat enim plurimis ſæculis terræ uſum fuiſſe communem. Quod itidem porro *Burgus* aſſerit, quod tum, cum regiones Sem, Cham, Japhet inter ſe diviſerunt, rationi maxime ſit conſentaneum tunc mare quoque ipſos diviſiſſe, ne illud pro indiviſo poſſidentes ſpe ſuæ ſeparationis fruſtrarentur, puta, ſubortis inter ipſos diſſenſionibus, nihil probat. Pace viri docti eſto dictum, illudit id ipſum magis lectori, quam vel tantillum probat: quid enim impedit quò minus eâdem facilitate dicatur, ac verè magis, id nequaquam ulli, nedum rectæ rationi conſentaneum eſſe? Primùm utique non eſt veritati conſentaneum, quod cum terram inter ſe terni illi diviſere, neque ullam habuerint alterius notitiam, extra illam in qua morabantur. Certe docet nos Sacra Scriptura

Geneſ.

Geneſ. cap. 11. Homines abs ſe invicem non niſi poſt linguarum confuſionem diſceſſiſſe, non at (quæ *Burgo* mens) occaſione poſſeſſionum ſub manum enaſcentes, identidem repullulantes contentiones amolirentur, longè haberent; ſed adactos inſuperabili neceſſitate, quam nec opinantibus invexerat confuſio linguarum. At verò quo id factum tempore? ipſe illius decurſus, ipſa intercapedo pro nobis reſponderit; factum ſub Phalegho qui Hebrum patrem habuerat, filium Salachi, nepotem Arphaxadi, pronepotem Semi, Noachi abnepotem. Quod ergo hic Dei præceptum de communi dividundo, quis juſſus, quodnam præcidendis diſſenſionibus datum conſilium indiviſa in ſuas partes capitatim, viritim in ſtirpes diſpeſcendi. Niſi quid modeſtiæ memor memet comprimerem, certè in prolixos effunderer cachinnos cum video noſtrum velle probabile eſſe à Noacho hanc diviſionem factam fuiſſe, qui eam filio ſuo Sem teſtamenti ſui tabulis commiſerit. Quaſi verò, bonus ille ſenex omnia, quæ ſe fato functo obvenerunt, confuſiones imprimis linguarum, in varia terrarum diſcedundi injectam abnepotibus ſuis neceſſitatem, præſago animi dictamine, vates ipſe præceperit: quaſi verò etiam iſto ſæculo teſtamenta condi fuerit recepti moris. At ſeriò. Quod gentes unas ab aliis potiſſimùm diſcernit, eſt lingua, diſcernunt montes,

 maria,

maria, deserta, nonnunquam (quamquam rariùs cum facilè transmitti possint) & flumina. Expediat sese noster, sodes, unde suum illud commentum de divisione à primo omnium parente factâ arripuerit. Divisionem extorsit numerosa, succrescens, surcrescendo excrescens familia, coloniarum velut deducendarum præsentanea necessitas. Obtinuisse jus majoris numero, simillimum quoque est vero, sic ut cujus esset numerosior soboles, ejusdem quoque exporrectior esset hæreditas.

Hoc si negaretur, obliterato paulatim naturæ jure, certum est exui cœptam æqualitatem: maximum qui possent pollerentque, sibi non alia vindicasse quàm quæ forent & maxima, potentiores leges posuisse infirmioribus. Hinc exinde ipsis quoque latrociniis detracta infamia. Piratica inter justos quærendi Dominii modos haberi. Naturale in servos imperium, in barbaros: hominum non magis illicita quam ferarum venatio: servitus ipsa naturalis: hi servitio nati, hi ad imperium: & quæ plura his similia Aristoteles 1. Pol. ut omnia divinè. Neque mirum ab initio quidem, ad naturam ipsam, quantumcumque ab illâ discederent potissimùm primis sæculis respexisse mortales, ut quos innocentiæ proximos, non ita transversos egerant etiamnum diri pectoris

ctoris mala. Qui cœlitus donati imperii in creaturas non omnino immemores, jure suo etiamnum uti persuasum sibi habebant. Nimirum cum homini famulari atque inservire voluerit, quod universum hoc, & quidquid ejus ambitu continetur, condidit sapientissimum Numen, amat quisque ad se transferre, primùm quantum necesse est ad vitam bene beatéque degendam, inde quantum ambitio, luxus, dominandi lubido, & avaritia humanæ societatis pestes suggerunt. Hæc possidendi & fruendi bonis naturæ cupiditas, ut videmus, aut privatum quemque habet, aut eos qui Magistratus Principumque jure subditis imperant. Ex privatorum injustâ cupiditate natæ sunt lites innumeræ, de stillicidiis, tigno injuncto, agrorum finibus, hæreditatibus, domus, lacus, insulæ, amnis proprietate & Dominio. At Principum cupiditas cum pluribus illi egeant, aut egere sibi persuadeant, levi buccellâ aut turundâ non expletur. Cum Macedonia non sufficit, lis movetur toti Græciæ. Ubi hæc in spolium cessit, itur in Asiam omnem, itur in Africam, & penè victo orbe uno,

Unus Pellæo juveni non sufficit orbis.

Hinc

Hinc nata inter Reges, Principes, Populos bella, ubi què Regnis, Imperiis, Populis funesta. Quisque terram omnem sui juris esse velit, quā ne ut esset illa unius, Deus montibus, fluminibus, silvis, Oceano prudens distinxit & dissociavit. Ex hoc fonte etiam fluxit præsens quam *Burgus* intentat dica, non de *Ligustici* modò sinus, sed & totius maris, & Oceani libertate, an illud unius sit domini, an paucorum, an in illorum potestate sit impedire navigationes populorum ad dissitos populos; prohibere mutua exterorum commercia, volentium cum volentibus contrahere: an & quatenus liceat unicuique in Oceano piscari, & num reditus in maritimas piscationes constitui possint, & hi inter Regalia jura censeri. Circa quæ (dolendum quod est) æquo & bono calcatis; potissimum jus est in armis: atque armatenentibus jussa sua in tantum quoque justa creduntur, ut ea qui negaverit, justa negasse, omnia dedisse censeatur. Ne quid desit, fiunt ista, tanquam *sic volentibus & magnis Diis*: nec minus quam vacuum terram petentibus Ansibariis Romani respondebant, *Se à Diis arbitros Terræ constitutos*. Quæ ipsa ut ut sint ipso iniquo iniquiora, coloratum tamen aliquem præberent titulam cui jus æquumq; ut ut non ad istat, utique ipsorum judicio non omnino resistat, qualia sunt diuturna possessio, præscriptio, inveterata consuetudo, patientia id

id in se fieri admittentium; nemo verò tam vecors fuit, qui ad factam jam tum vivente Adamo divisionem maris, idque divinitùs, ac Dei munere dividendum privato Domino habendum concessi provocare sustinuere, aut intentionis (qui Jurisconsultis loquendi mos) suæ fundamentum locare.

Si noster *Burgus* testamenti tabulas à Noacho conditi exhibere posset, aut instrumentum divisionis inter liberos Noachi factæ, habebit quidquid ex illis constiterit. Cæterum nullus certior est Regnorum limes quam mare. Ita in Sacris Literis: unde geminatim limitem agnoscas. *Dominabitur à mari ad mare.* Ita Virg. *Imperium Oceano, famam qui terminet astris.* Non potest iste limes moveri. Quod si ipsum mare imperii pars erit, non jam limes erit. Ponamus imperii partem esse, quem verò demum limitem assignabimus mari. Necesse est post ipsum mare terram dari, in quam, sibi quippe limitem, desinat. Expediat se velim *Burgus*, an non hoc potuis sit amovere limitem quàm ponere? Mare certè Mediterraneum, quod in S. Scriptura *Mare Magnum* vocatur, & multorum regnorum intima & extima pulsat. Si imperio Syriæ annexum est, Syriæ termini erunt littora Hispaniæ. Quid jam de non terminato dicendum erit Oceano? Nisi aliquam quæ in infinitum abeat jurisdictionem introducimus, necesse est

cum Scripturâ terminos imperiorum maria ponamus;
aut cum Naturâ fateamur nos mare non possidere
cum possessionum datus sit terminus. Quod ait V. C
suspicari nos non posse, quos omnipotens è toto hu
mano genere justissimos elegerat, ac perfectissimos
cùm evitandorum dissidiorum causâ separarentur
adeò imprudenter ansam dissensionibus reliquisse ma
ris communionem, ubi vel solus piscatus satis ampla
concertationibus dare poterat occasionem, nihil stri
git. Demus, quandoquidem ea vult, dissidiorum caus
separatos, terram quam occupaverant sui juris feciss
quomodo metuere potuerunt dissensiones aliquas a
omnino ullas è communione maris exorituras? Vel so
lus, inquit, piscatus ansam præbuisset. At unde ea
fateor me neq; conjecturâ assequi. Quid verò hoc sibi
quod ille vel solus id fuisset facturus. Id cum dicit, ali
præter solum piscatum dari statuit: quæ discordiar
quæ lites sint introductura. At quænam sunt illa? an n
vigatio? Nemo hactenus repertus est qui navigationem
maris proprii Dominii esse diceret. Nunquam Serenis
sima Venetorum Reip. sibi soli cæteris omnibus exclu
sis per mare Adriaticum navigandi jus esse contendit
Nunquam Genuensis per mare Ligusticum. Jus piscan
di videri possit jus dici colligendi fructus, non enim
margaritas vel aurum mare submministrat, sed solos pisce
& qui

& quidem potissimùm de hoc jure disquiri posset. Itaq;
quod dicit, vel sola piscatio in causâ esse possit; frustra
sic loquitur. dici potius debuit sola piscatio dissidia
movere potest. Sed quæro an piscari in mari quis un-
quam potuerit absque navigiis aut schaphis? Atqui ho-
rum inventores multis sæculis recentiores fuerunt,
quàm illa terrarum divisio, quam nobis conatur ob-
trudere. Occurrit quod Noachus arcam fabrican-
do usum navium introduxerit. Interea concedat ne-
cesse est ante Noachum terræ divisionem factam fu-
isse inter homines, ut asseruit ipsemet: utque ante id
tempus usus navigationis adeoque piscationis marinæ
fuerit incognitus. Quibus addi potest neque esum pis-
cium, ut neque carnium ante diluvium fuisse, ut apud
omnes constat. Noachi posteri docti esse potuerunt
navem fluctibus committi, exponi posse aquis ipsis su-
pernaturam, aut, ut Poëta, per undas equitaturam; in-
auditus tamen tum ipsis tum ipsorum posteris per
multa sæcula usus velorum, remorum, gubernacu-
li: absque quibus navium non alius est usus, quàm
tabulæ in naufragio. Cum verò iidem prope Ba-
bylonem se continuerint, id est longissimo tractu à
quolibet eorum aut mari, donec confusio linguarum
eos separari cogeret, si tùm terrarum partitio facta
est, maris fieri non potuit, cùm ejus ingrediendi non-

dum cognita, nedum in explorato esset facultas. De inventione verò navium iis maximè credendum qui insulas insederunt, quarum magna vis in Græciâ. His si credimus, noti Argonautæ, *primusque ratis fabricator Jäson*, & cum Jasone *Æquor Jäsänio pulsatum remige primùm*. Id vero quando? non multò ante Trojanum bellum, id est trecentis quinquaginta annis ante Romam conditam, mille annis ante Christum. Quod verò etiam aliis hæc inventio tribuatur, cum circa tempus conveniat inter omnes, hactenus pro me facit, quod Jasonis tempore navigandi usus non fuerit admodum usq; promiscuus. Confirmat hoc quod inde insequutum fuit bellum Trojanum, ex quo reducem illum, *multorum mores hominum qui vidit & urbes*, Ulyssem, totos decem annos in itinere fuisse à Trojâ ad Ithacam Insulam in Hellesponto, Homerus narrat. Poëticas ut dicat has fabulas noster, non moror: fatetur ipse mecum verosimilia ab ipsis narrari, saltem popularia. Inde evinco, si qua temporibus Homericis fuerit navigandi peritia, fuisse illam perexiguam. Certè non talem tantamve, ut piscandi tantummodo gratiâ dissitum longiusculè mare fuerit petitum; nedum ut tanto intervallo, quanto discriminantur limites imperiorum. Est & hoc nullius momenti, quod autoritate S. Scripturæ suam tutari opinionem *Burgus* annititur, Agnoscit, inquit

inquit ipse, S. Pagina plurimis in locis hanc maritimi Dominii divisionem diversorum populorum maritimum imperium commemorans. Tyrios siquidem principes maris appellat, ipsamque Tyron fortem, hoc est Dominam maris. Apertè quoque inter divitias Alexandriæ maris principatum enumerat, & Deus inter alia maris Dominium Davidi pollicetur. Repono ego jam dictis primò, nullo eorum qui adducuntur locorum apparere, aut elici saltem posse quippiam quod factam maritimi Dominii fuisse divisionem probet. Nam quod Tyrus Domina maris dicitur, non certè est eo ex capite, quod piscationem exercuerit per totum mare, aut majorem ejus partem: hoc enim, nisi insigniter stulti fuerint, attribui ipsis non debet, vilescit piscis servatus, & inter illas merces est quæ servando servari non possunt: ut autem sale condiatur isto mari etiam hodiè incognitum est, nedum antiquo tempori. Quid ergo sibi vult Dominium maris & hæc Domina maris? certè non aliud quam quod navibus suis, quod discursibus maritimis totum mare peragrarent; mercaturas per omnes accolas maris exercerent. Nulla enim alia est maris possessio, nullum aliud maris Dominium quam ut præ aliis gentibus navibus prevaleat. Tale Dominium non est ex divisione, non quod fortitò possit obtingere, non quod per diuturnum

usum possit præscribi, non quòd jus habeat aliis interdicendi ne idem occæptent: sed facultatis est & potentiæ. Non quidem omnimodæ; sed talis quæ ab opportunitate, sollertiâ nautarum, industriâ mercatorum, & imprimis à divinâ benedictione demanat. Neq; Tyrus dicitur domina maris Tyrici, ut *Burgus* Genuenses velit maris Liguſtici dominos, sed maris magni, quod totã Africam Hiſpaniam, Galliam, Italiam, Græciam, Asiam alluit quácumq; navibus pervium est. Quod si una quæq; insula sibi maris Dominium vindicare volet ut in continenti Reges quilibet; quorum pleriq; non paulò potentiores quam Tyrus fuerunt, Tyriorum Dominium si illorum quisq; non agnosceret in mari, ut noster scisit, suo; non verè Tyrus maris Domina dici poterit, cum infiniti maris Domini forent. Et tamen S. Scripturæ sua veritas constat. Sola siquidem Tyrus alios omnes superavit, maritimis copiis, numero navium, potentiâ navali. Sola negotiationes maritimas exercuit, aut saltem supra omnes alios. Hoc si verè dici potest, jure quàm meritissimo hodie Batavia nostra dici possit maris Domina, etiam ratione ejusdem maris Mediterranei, & maris Baltici, imò Oceani, quod non aliquod gentes, sed totum orbẽ terrarum complexu suo continet. Itaque dum *Burgus* Genuam Dominam maris Liguſtici investire contendit, Bataviam imprudens, non alicujus Freti aut Sinus, sed omnium

omnium marium facit. Gratiam illi debemus, qui hoc tam liberè urget, quod nos per modestiam dicere non audeamus. Idem de Alexandriâ dictum esto, quod de Tyro, scilicet ipsi non alio nomine tribui Dominium maris. Quod attinet Psal. 89. 25. *Ponam manum ejus in medio mari*, potentem fore terrâ marique significat, intellige classibus mari, exercitibus terrâ potentem fore. Primùm sciendum est hoc promissum Typicè de Christo intelligi debere, quod hinc liquet versu 36. *Juravi Davidi, & non mentiar: erit semen ejus in æternum; & thronus ejus ut sit coram me.* De regno æterno ergo intelligi debet, & de terrâ novâ, quam justitia inhabitet. In antytipo verò etiam suo modo locum habent. Scimus autem post Salomonem imperium posterorum Davidis non fuisse, nisi duarum tribuum. An ergo credi potest, Deum Davidi pollicitum fuisse maris Dominium, idque in æternum: ut non etiam præstiterit? Quid, quod divisio terræ sub Josua facta, sortem Judæ, ut & cæterarum tribuum, tam exactè tradat, ut nulla lis super limitibus moveri in æternum possit? Quid ergo, an etiam mare divisum est; cum & interiora essent, quæ vel *Burgo* fatente, maria appellarentur? Minimè certè. *Jos.* 15. *Limites Judæ ad meridiem mare salsum*: vers. 2. *Ad orientem mare salsum usque ad Jordanem,*

nem, versus septentrionem, limes incipit à termino maris, &c & vers. 12. *Limes ad occidentem mare magnum.* Acce dit, quod totus ille tractus terræ Canaan importuosus sit. Noluit enim Deus Iseralitas commercia exercere cum aliis gentibus, ne ex earum moribus contagium traherent. Itaque verba *ponam manum ejus in mari, & dextram ejus in aquis*, de lacubus intelligi debent, cum & gentes ulteriores David sibi reddiderit tributarias Allegat porro noster ex *Esdræ* 4. Capite 7. com. 3 Ubi de mari dicitur *quod introitus ejus in angusto po situs sit, ut esset similis fluminibus. Quis enim volens vo luerit ingredi mare, & videre eum, vel dominari ipsius, non transeat angustias.* Hactenus Esdras vel quicumqu est author illius libri, qui multa absurda cumulat. De mus tamen allegari posse. Quis non videt de lacu hæ dici cujus & possessio esse potest & Dominium? ver enim lacus omnis fontes habet, at mare magnum ex fon tibus non oritur, sed fontes potius ex mari, ut Sacr testatur Scriptura. Quodque deinceps allegat ex eo dem autore lib. 3. cap. 4. verba aulici qui Regis poten tiam supra omnem aliam attollit, eò quod terram & mare obineat, & omnia quæ in eis sunt; id sanè com primis levidense est, tale nequaquam futurum si insu perabilis nobis statuendi, credendi necessitas esset; ta lia dicentem aulicum non recessisse à veritate. Sed me liore

liore jure sequemur sententiam illius qui caussam obtinuit: neque tamen negavimus unquam, ut patet ex dictis præcedenti capite, potentiam Regis etiam ultra littus extendi, sed negamus jurisdictionem extendi; quod si & hanc ipsam quispiam cum potentiâ exæquatum eat, negamus mare in bonis esse, & jure proprietario privatim possideri: neque tamen mirum si adulatores vim Regum intendant atq, attollant ultra quam veritati consentaneum est: Quis enim tam emotæ mentis, tam excors, ut dicat Reges obtinere terram & mare, & quidquid in eis est? An possident & aurum irrepertum & tunc melius situm cum terra velat, & quidquid abstrusi si nuque suo reconditi visibus humanis habet subductum, an quidquid mare? At certè Thesauros inventos Divus Hadrianus naturalem æquitatem sequutus ei non minùs quàm sui jure habendos concessit qui invenit, etiam in sacro & religioso loco, si in Cæsaris loco dimidium Cæsaris statuit: neque plus Cæsari attribuit quàm privato cui libet. nam in alieno loco, dimidium Domino soli, dimidium inventori tribuit, Cæsari nihil, ita si in loco publico, dimidium isti civitati. Hoc si de iis quæ terrâ continentur, cum tamen terra propriissimo modo sit sub jurisdictione Regis: quid de iis dicendum quæ mari continentur imo fundo demersa? Finem exemplorum quæ statuminandæ suæ opinioni

Burgus adducit, facit in Moyſe. Illum, ait, paulò antequam mortalitatem poneret, tribui Nephtali benedicentem, futurum prædixiſſe, ut mare & Meridiem poſſideret. Et quidem facit hoc heros ille ſatis perfunctoriè, atque ut omittat (ſic ait, ſi Dis placet) alia divinæ mentis oracula, quæ eo poſſent adduci. Tritum eſt nec minùs tralatitium, fidem jure non haberi alleganti inveriſimilia. Quis credat omiſſurum noſtrum oracula Divina, qui ex lib. 3. & 4. *Eſdræ* Apocryphis, & authoritatis admodum mediocris proferenda ſibi oracula eorum putat, quibus mos eſt omnia aſſentari, & non in Divinis, verùm paraſiticis oraculis animam citiùs agere quàm cauſſam. Cæterum nos ipſum videamus oraculum. *Nepthalim*, inquit, *mare poſſidebit in Meridiem.* Atqui in diviſione quam Joſue fecit per ſortes ſeu funiculos, pars Nephtali attingit Jordanem ab Oriente: habet à Meridie Sabulonem, ab Occidente Aſſer & Judam: ergo mare magnum non attigit: At forte mare quod ſalſum vocatur, qui lacus Aſphaltites dicitur, maledictione perpetuâ damnatus. An & hic in poſſeſſionem Iſraëli datus, pars & portio quâ terræ promiſſæ, benedictæ, benedictionis Divinæ Nephtalicæ tribui æternum monumentum, perennaturum pignus? Bona verba. Etſi ſi non negem eſſe qui hæc verba *mare poſſidebit & Meridiem*, interpretentur hoc velle: ſors Nephtali

Nephtali extendet ſeſe ad mare Mediterraneum & ad plagam Mediterraneam: ſed malè hoc dici potiores & inter illos candidiſſimus Cornelius à Lapide monent, & extentionem illam ad mare, de quâ textus ajunt ad accipiendam ad Occidentem (quandoquidem Occidentis nomine mare in Sacris ſæpe venit) & ad Meridiem. Quippe ni? cum inter ſortem Nephtali, & mare, interjaceat tota ſors Aſer, & tota adeoque Phœnicia, & mare Mediterraneum ad Occidentem terræ Paleſtinæ ſeu Sanctæ adjaceat. At dum hæc à morituro Moiſe proferuntur in benedictionem, commodiſſimè jam dicta ſic accipientur, & veriſſimè, ut innuant advehendas Nephtali merces copioſiſſimas, numeroſiſſimas, ex Occidente, id eſt mari, quas ſit poſſeſſura. Erant quippe, ut dici cœptum, Nephtalitæ Tyriis, Sidoniis, Phœnicibus, aliiſque, unde ab iis toto orbe de facili merces haberi poterant, contermini. Explicant hæc non leviter ipſa Moſaicæ benedictionis verba, *Nephtali*, inquit, *abundantia perfruetur, & plenus erit benedictionibus.* De abundantiâ ejus, teſtetur benedictio patris Jacobi, tribum iſtam cervo emiſſo comparantis, præſagique quòd quemadmodum cervus emiſſus in terrâ herboſâ & fertili exultim ludit, non minùs fœlici beatéque ſuâ in ſorte Nephtali luſura ſit & exultatura. Quoad ſtatum

ipsius, conditionemque benedictionum plenam, notatum Cajetano Cardinali eam inde potissimùm spectandam in Nephtali præcociores fructus matureſcant, è quibus Deo primitiæ offerri fuerint solitæ in templo. Existimem his lectis neminem fore qui non judicet hæc vitioſè & obtorto collo trahi à *Burgo* ad privatum maris Dominium ex isto Mosis oraculo pervincendi.

NOTÆ AD CAPUT II.

Dominium maris inter homines jure gentium fuisse divisum.

DOminium maris jure gentium inter homines fuisse divisum probaturus *Burgus* sic orditur. *Non tamen dicimus divisionem maritimi Domini juris esse Divini. Liquet enim Dominiorum & Imperiorum divisionem jure gentium fuisse introductam.* Fateor, hîc me in tanto & viro & argumento constantiam eorum quæ defendenda suscepit majorem requirere. Quid enim? Recantat quæ hactenus ex oraculis divinis protulit; asseverando primùm tribui Nephthali, mox quoque Davidi Dominium maris à Deo datum. Cum totus sit in exemplis coacervandis, mirum cur non adferat divisionem inter gentes factam per eos tramites, quos ipsa æquitas doceat apud gentium & moratiores & plu-

& plurimas, habitos fuisse utque pro legitimis, naturali rationi, æquitati, juri innixis. At neque mirum. Dixerit ipse, cum nec particularia suppetant, nedum illa, quæ in universale aliquod jus transmitti evaleant: Si gentium juri talis deputanda est divisio, aut simultaneam fuisse oportet, aut successivam, sic ut quæ præcesserit omnium prima divisio, iverit ad perfectionem mox sequutarum. Quod nec dici possit. Nam neque universalis ulla fuit, nec si qua particularis fuit, ulli quæ antecesserat, debuit sui aut perfectionem aut formam. Ac si vel debuisset quoque, non fuisset id factum jure gentium; quod & universalem consensum, & pro universali illo, divisionis actum pariter universalem exigat. Sed nec ipsi consensus, non actus in universum factæ divisionis fuffecerint, si recta ratio dividentium aut dividere volentium ipsi divisioni non accesserit. Id verò impossibile in subjecto hoc themate, cum talis maritimi Dominii divisio jus Divinum sibi obversum habeat, ac proinde quoque jus naturæ: quorum utroque contranitente, nec quid potuerunt gentes ullo jure, quod ipso facto sibi vindicare, sibi asserere, suum dicere possent. Dicendum hic cum Poetâ,

In fabricâ si scæva est machina prima,
Cætera mendosè fieri atque obstipa necesse est.

Deum sequi præeuntem, ad theocraticum populi

Iſraëlitici regimen ſe gentes componere ſi quid inſtituiſſet, factus fuiſſet ſorti locus, non gladio. Si quis hîc obganniat χειρωδίκης, dum jura negat ſibi nata, nihil non arrogat armis, inter circumclangentes tubas non eſſe ut leges armatus exaudiat : Quoad ad has diviſiones, unicam gentium regulam eſſe optimè eum de finibus diſputare, qui gladium habeat acutiſſimum, meritò inviſus agat atque inteſtabilis. Omnia ſimul in hanc rem contrahunt illa Lucani lib. 1. Pharſalidos,

Quid miſcere juvat vires orbemque tenere
In medio : dum terra fretum, terramque levabit
Aër, & longi volvent Titana labores,
Noxque diem cœlo totidem per ſigna ſequetur,
Nulla fides regni ſociis, omniſque poteſtas
Impatiens conſortis erit : nec gentibus ullis
Credite, nec longè ſæclorum exempla petantur.
Primi fraterno maduerunt ſanguine muri,
Nec pretium tanti tellus pelagusque furoris
Tunc erat : exiguum dominos commiſit aſylum.

Si ergo tueri ſuam opinionem *Burgus* cupit, principium ponat neceſſe eſt juris gentium, cui ſe hæc imputet diviſio : hoc ſi corruptum eſt, ſi vi, ſi violentiæ,

ſi ſpoliis, rapinis, deturbationibus, in exilium actionibus, ac ſimilibus, quæ nec facere nos poſſe credendum eſt, utpote quæ facta lædunt pietatem, ac verbo uno, contra bonos mores ſunt, debent principium ſui, debent conſummationem ; ut certè debent, nec ſanè quam longiſſimè vel umbra juris alicujus hinc abfuerit. At certè non eſt, ut huic tam non juſtè opinioni alia aſſignentur principia, quàm quæ peccent in ipſum Deum, in rerum naturam, in ipſa gentium moratarum jura ; commerciorum libertatem impediant, omnis antiquitatis fideliſſima judicia pervertant, uſus omnibus ſæculis receptiſſimos, eóq; communes turbent, omnis æquitatis normam revellent, non temeranda temerent, occupent nulli occupanda, denique communi omnium quâ Juriſconſultorum, quâ conſcientiæ caſus, qui dictamina juris legumque dictamina ad nos tranſmiſerunt, (Faſtos, Annales ſciens omitto) ſententiis è diametro adverſentur. Deum ſi ſpectamus, fecit is mare navigabile, artemque naves conficiendi primus edocuit. Ventos ad hæc è quâvis mundi parte flare voluit, ut omnium itinera profectioneſq, ex æquo promoveret : Nequaquam ſanè, ſi Divino huic beneplacito itinera prohibendo, matitimos diſcurſus ſiſtendo, ac ſuo quidem jure contra niti

fas

fas privatum maris Dominium obtendentibus. Nequicquam etiam hominem natura voluerit animal sociale esse & πολιτικὸν: Assignet, sodes, rationem *Burgus*, cur magis, aut cur tantùm debeat esse socialis cum conterraneis suis quàm cum exteris, cum & si homines sint, & objecta esse debeant & possint humanitatis nostræ, comitatis, liberalitatis, justitiæ, misericordiæ, amicitiæ, & cæterarum porro virtutum, ista exerceri non possunt nisi convictu, quem hujus privati Dominii impedimenta non sinant sese explicare ac in actus suos exire. Gentium jura quàm offendantur & positiva & ad naturam relata, ratio examussim demonstrat. Positiva, quia secundùm hoc jus propria facta sunt illa, primò quâ usu pereunt, ut cibus, potus, vestis. Dende agri & terræ, quoad curam & administrationem. Tertiò & mare, neutiquam in privatum Dominium, sed quoad curam partium maris, ut supra cũ de jure Dominii verba faceremus, explicitum, nemine interim ex hoc jure in Dominium maris primævo, qui usu illius, quod jus gentium liberum esse dictat, & usus promiscui aliis interdiceret. Relatione ad naturam factâ, quia ipsa rerũ natura nulli hic proprii quid, aut cujus usu alius alium prohibere posset, assignavit, nec hunc magis quàm illum voluit esse Dominum maris. Ac certè si commercia cuilibet genti cum qualibet gente sunt libera,

ra, nullius in manu est hanc ulli libertatem extorquendi, navigationes prohibendo, absq; quâ quælibet gentes adiri non possunt. Ipsâ autem tali sub pretextu privati in mare Dominii prohibitione, nec acerbius quid dari, nec iniquius potest, cum aliæ aliarum gentium & communicatione & subsidio & operâ indigeant ad ipsam vitam sustentandam, ut ait Poëta, *Non omnis fert omnia tellus*: una alterius inopiam supplere apta est, prorsus ut naturali quâdam necessitate ad maritima commercia velut compellamur; eóque hæc oportet esse liberiora, quò iis destituta mortalitas nec bene esse, nec beatè vivere, quin nec subsistere aut tueri sese posset. Quare & fidelissima (cujus momenta in omnibus servari debere Juris Consulti nos docent) judicavit antiquitas, inhumanum prorsus & barbarum esse homines ab hominum commerciis, colloquiis, consortiis prohiberi terrâ marive: nec ob aliam caussam plura bella exorta, aliis jus, quod per naturam competit, propugnantibus, aliis per nefas & vim (quorum fidem sacra & profana historia faciunt) oppugnantibus. Quàm autem impingant hæc in usus communes, ipsa maris natura demonstrat, & conditio ac status, qui talis, ut omnium usibus in omnibus, & semper, & quaquaversum plenè planéque sufficiat, atque accommodatus sit. Nempe maritimos usus neque proprios sibi

facere qui potest, nisi qui & tantundem aliis post se sit relicturus. Apage ergo illius non nostri fundi modò, sed & universi orbis inominatas calamitates, qui quæ totum genus humanum capere oporteret, interceptum ire studeant. Nihil ulli à navigatione impedimenti, nulli à piscatu damni. certè non plus quàm ex respiratione cujuscumque animam trahentis, halantis, promiscuis liberi aëris beneficiis decrescat. Quis mortalium hunc illumve in hoc potiùs quàm in illo aëre respirare prohibeat?

Omnia possideat, non possidet Aëra Minos,

Apud Poëtam Dædalus. Idem de littore dictum est. Modò ne communis usus impediatur aut lædatur, quis gentium jure, deambulare, retia siccare, ædificare in littore prohibeat? Princepsne ratione Dominii marituri? minimè gentium. Mare nullius Principis proprium cum sit nec inventione, nec occupatione, nec donatione, nec præscriptione, nec consuetudine. Est illud quippe istiusmodi, ut occupari, ut possideri nequeat, ac quâ talè, nullius proprium esse potest, cum proprietas, etiam sic, & rectè, sciscente *Burgo*, ab occupatione cœperit; & nullum civile jus, (ad quod exiguntur post occupationem cætera, quæ adstruendo Dominio privato maris adferri possint) alios Principes, & populos superiorem non agnoscentes non obli-

get.

get. Nulla porro æquitatis ratio sinat, ut cum iniquum sit negare transitum per terras inermibus, neq; nocere volentibus; non & multò iniquius sit, eum per mare negatum velle; illic noceri posset, hìc non potest; illic per possessa transeundum, hìc per communia, non possessa, non possidēda. Accedit quod omne omnino jus sive divinũ, sive naturale, sive gentium, sive civile, sive scriptũ, sive non scriptum sit, id habeat, ut *quod tibi fieri non vis, alteri ne facias.* At verò cum navigatio, piscatio, nulli noxia sit, aut esse possit, nisi ipsi fortè naviganti, piscanti, par est, ut non impediatur, ne in re suâ, naturâ liberà, alterique minimè noxiâ, navigantium, piscantium libertas violetur, præsertim cum omnia intelligantur esse permissa, quæ vetita non reperiuntur. Quìn innò non solùm contra naturæ principia esset impediri id velle, ut & naturâ manuducente apud omnes omnino mortales, quibus ulla humanitas, ullus humanitatis sensus, ullum ejusdem aut æstimium aut exercitium, pro inconcusso invaluerit, *Quod alteri prodest, tibi non nocet, benignè facere tenêris.* Quæ de Theologorum, Jurisconsultorum consensu circa hæc dixi, & verissima sunt, & suis locis exhibebuntur; nunc ad *Burgum* revertamur. Sic ille: *Rerum ac Dominiorum divisio ad tollendas discordias est facta. Quare necesse est, statim ut maris inventus est usus, navigatio & piscatus, ne propter*

ter has dissensiones orirentur, ipsius quoque inter gentes usum fuisse divisum, & Dominium assignatum occupatumque; Sic loquitur noster, quasi gentes inter se communi suffragio terram diviserint, ne qua deinceps discordia oriretur, & vult in hoc sibi credi, posteros Adami terrarum orbem forte divisisse, cum nec vel bis mille annis tantùm progredi potuerint, ut terræ amplitudinem cognitam haberent. Cæterùm, quid hoc ad jus gentum? Non negatur jure gentium divisionem fieri potuisse, sed negamus factam: negamus factam quòad proprietatem; quo pacto terræ divisio fieri potuit, utiq; quo pacta fuit, ostendimus, & aliquam & circa aliquas partes mari fieri potuisse. Quid? ut etiamnum explicatiùs proponam, dico distinguendum esse circa proprietatem beneficio divisionis consequendam. Nobis alia est omnimoda proprietas, quam sub nomine privati Dominii sibi privatim habendi, atque ut practici loqui amant, habendi privativè, id est cæteris exclusis, nec ad illud admittendis, comprehendimus. Alia est proprietas quæ duntaxat est quoad usum & curam rei. Distinguendi rationem habemus, quod circa res exteriores duplici actu homo occupari possit. Primus actus est procuratio, & dispensatio, & administratio bonorum exteriorum. Secundus actus est usus & fruitio. Quoad primum, debet quisque bona sua propria pos-

possidere, egent enim res aliquo procuratore, dispensatore, gubernatore. At illa procuratio, dispensatio, gubernatio, non potest esse omnium & singulorum circa eandem rem. Agri egent cultore, domus habitatore, cibus dispensatore. Ad hoc necessaria est proprietas, propter tres causas. I. Quia magis sollicitus est quisque de suis propriis bonis, quàm de communibus. Quæ enim communia sunt, facilè à singulis negliguntur. II. Ordinatius res humanæ administrantur, si singulis sua cura incumbit. Non potest non esse confusio & ἀταξία, ubi plures indistinctè easdem res curant. III. Magis est pacificus status & litium expers, dum quisque suâ sorte est contentus. Ubi enim multi eandem rem possident, ex indiviso frequentius oriuntur jurgia. Exemplum in Abrahamo & Lotho sufficit nobis S. Scriptura. Hi cum possiderent eosdem fontes, aquas, agros, nata jurgia sunt. Hinc sibi quisque sumsit (sortitòne mi *Burgi*, ut somnias de posteris Adami?) suam terræ portionem. Nempe cum intra paucos staret genus humanum, ac proinde circa rerum divisiones, juri gentium quæ necdum erant, locus nec esse posset, non opus erat divisione, omnia omnium erant jure naturæ. Postea jure gentium facta est divisio ob rationes allegatas, & unicuique concessa proprietas, quoad curam, gubernationem & administrationem.

Alius actus est usus rerum quas quis proprias possidet, & administrat. Et hoc modo non debet rerum usus ita esse proprius, ut quis nolit earum usum concedere aliis egentibus. Ideo concessum ambulantibus vellere spicam, per vineta decerpere botrum sublevandæ fami aut siti. Ideo iniquissimum semper habitum fuit, prohibere transitu viatorem, aut jus hospitii negare peregrino. Si quid ergo valere debeat in divisione jus gentium, recurrat, sodes, benignus Lector ad illa quæ de jure Dominii supra differuimus, & videbit, divisionem maris jure gentium nullam admitti posse, quæ communem usum, fruitionem communem neget; posse verò admitti, & esse in multis admissam quò ad gubernationem & curam. Quod ait *Burgus* necesse fuisse id, ut maris quoque divideretur Dominium, statim ac navigatio inventa fuit aut piscatio, ab omni rectâ ratione devium est. Ergone inter accolas maris lis super navigatione metui potuit, nedum inter Mediterraneas gentes? Et cum de Dominio terræ tot bella gesta sint, anne unquam super navigandi jure bellum gestum est? Imò qui victos omni jure spoliaverunt, anne unquam spoliaverunt jure navigandi? An lis ex hoc metui potuit ex quâ nullum detrimentum? An Genuenses sibi libertatem non attribuunt navigandi extra mare Ligusticum? Si liberum illis navigandi mare, quid (si illorum

lorum opinioni credimus) in Dominio alterius Principis aut populi est, cur non & aliis liberum in mari Ligustico? Quid, quòd non cum incommodo illorum frequentetur mare? Si enim omnes mari illo abstineant, brevi sunt laboraturi rerum penuriâ. Itaque non mare tantùm, sed & portus illorum frequentari ipsorummet interest quàm maximè. Ita videmus, exteros sæpe immunitate aliquâ, aliquando & præmiis illici, ut portus frequentent, prohiberi nunquam nisi hostes fortè. Legisse me in Genuensium Historiis nusquam memini Sereniss. Genuensium Remp exteros piscatione interdixisse. Non me latet jactitari omnium sermonibus tritissimò dicterio, *Mare Genuensium piscibus carere*, sic ut tali interdicto opus non sit, eòq; satis ipsis cautum, potiusq; non levi stipendio, qui piscationem istic adornarent, redimendos esse. Sed nec & me fugit, nostrates Belgas vel avorum nostorum memoriâ, quidquid come, exporrectum, blandum, nitore suo allubescens, seque isto probans efferrent esse, prædicare solitos paria id Genuensibus facere posse, Genuensibus non decessurum; factum pulchrè Genuensem ad modum: eòque oppositis inter se quæ sic jactantur & circumferuntur, sponte suâ Genuenses jure humanitatis majora delata velle censuerim, quàm ut in tam illi adversantia provoluti, spectatissimam, quaque magni clarique cluent, huma-

humanitatem vellent collutulatam aſpèrgine tam non ſe ſuiſque virtutibus digna. Venio ad argumentum *Burgi* quod è facto Minois Cretenſium Regis exſtruit. Sic ille : *Tametſi primus, qui mari fuerit dominatus, cenſeatur Minos, qui cum Græcum mare à piratis redderetur infeſtum, iis profligatis ejus ſibi arrogavit Dominium. &c.* Vult eo pacto Minoëm factum Dominum maris. Sed dixerit noſter, quo titulo : doceri aveam, quòd qui piratas profligat, ab iis profligatis, aut ob profligatos illos Dominium maris acquirat, & quidem ſic acquirat, ut id ſibi habere poſſit ſui jure cœteris exeſſe juſſis. ἄλογον eſt quod adfert. Nemo unquam, ſi cum *Burgo* definiendum eſt Dominium per jus, dixerit piratas habuiſſe, habere, poſſe habere Dominium maris. Si jus Dominii aliquod in mari, quod facimus, admittimus, nemo dicat penes illos humani generis hoſtes aliquod Dominii jus potuiſſe reſidere. Quidquid Minos iis profligatis conſequi potuit, ſtetit inter illa quæ erant piratarum. Illud verò quod ſubjungit æquè eſt ἄλογον, cum vult antea quoque, *ipſius alios Dominos fuiſſe, vel ob eandem cauſſam ob quam à Minöe,* (ſupple mare) *in poteſtatem eſſet redactum.* Hæc ſi ex vero ab ipſo dicuntur, expediat ſeſe cupiam, quo Jure Minos anteriores Dominos jure ſuo privare potuerit, quo jure anteriores illi (ſic *Burgo* placet) Domini jure ſuo exciderint, id propter quod

quod mare infeſtarent piratæ. Jamne ad illas incitas ſumus redacti, ut dicere cogamur, ſi latrones agros noſtros infeſtent, alius nobis abſentibus eos abigat, eum agros noſtros facere juris ſui ? *Dii meliora piis, erroreſque hoſtibus iſtos.* Ficulneum eſt quod addit : *incuriâ Dominorum mare factum erat piratarum ac latronum receptaculum:* ideo nempe id ei dicitur, ut aliquo ſaltim jure Dominium maris ſibi vindicaſſe Minos videatur piratis disjectis. Tantundem diceret, qui latrones fugans, terram ſui juris eſſe factam diceret. Eſto, veri Domini non ſunt tutati, ut decuit, nulla ſequelæ neceſſitas eſt, eos iccirco Dominio ſuo atq; omni Dominii jure excidiſſe. Si hoc pertendit, dicat quo jure. Sui jus non datur. Quo judice; anne & ipſo facto, ſtatutâ nullâ poſtliminii ſpe, nullo regreſſu, in omnia ſæcula ? Quàm rectè hoc nos Divini, Naturæ, Gentium omnis in hac cauſâ juris aſſertores citet noſter ad ſuum tribunal, ea omnia ut injuſta condemnare ſit aggreſſus, liberum eſto cuique judicium. Spero agnoſcent, illa quæ tanto apparatu in prolegomenis ſuis exornavit, nihil eſſe quàm verba & voces, rerum inania ; & creperas præter nugas, nec hilum quidem.

NOTÆ AD CAPUT III.

Populorum Orientalium, qui olim floruere, Maritimum Dominium.

ORditur ab Hebræis Spectatissimus *Burgus*, authoritatemque adducit Rabbi Jehuda Hemara. Cui hoc vult sedisse: *Quidquid maris est intra lineas ductas à Cephaloniâ & à torrente Ægypti, territorii Israëlitici esse.* Sit ut dicit vel adversariâ ipsi veritate, modò ne quæ dixit resorbeat. Ait esse territorii Israëlitici: quia se explicat, addendum erat maritimi. Sive à tauris territorium arcessit quasi tauritorium, nihil hoc ad maritima; si à terendo ut ipsam terram, non magis; sive à terrendo ponat jurisdictionem, Juris-Consultus Juris-Consulto repono *l.* 238. de V. S. *Territorium esse universitatem agrorum intra fines cujusque civitatis*: quod ab eo dictum quidam putent, quòd magistratus ejus loci intra eos fines terrendi, id est summovendi jus habet. Proximè præcedenti commate ostendimus neque navigare volentes, neque piscatui incubituros, ullo jure posse terreri, id est summoveri. Varroni territorium universitas agrorum non est, sed tamen locus communis, qui prope oppidum relinquitur, eò quod maximè teratur: *Var. lib.* 4. Papiæ suburbium, quasi terræ boum: bobus

bus terendæ Belgis *Bailjuage*, *Bailjuschap*, exulum apud Amstelodamensis bannæ leucali, unde *bailjeu*, *bailjeüage*, quod sequens accentus in *bailjou*, *bailjeage* proximè respondens. Prout semper accipitur, est universitas agrorum oppidi, villæ, etiam privatis communis. Summa ut dentur, est jurisdictionis districtus, jurisdictio nunquam est nisi χρηστικῶς. Mare hic qui nominat, pari ratione *Delphinum sylvis appingit*; *fluctibus aprum*. Sed ad Rabbinos, quorum authoritatem tanti esse meritò mirum mihi videtur, ut in assequendâ mente Sacrarum Literarum eorum ductum sequamur, qui regni Christi hostes sunt. Illud verò ab iis summopere aveam addiscere, an non illi, quibus (quod somniant) pars maris aut assignata aut data fuit in sortem, sicubi ipsis ea obtigit, non teneantur septimo quoque anno juxta abstinere & à navigatione, & à piscatu? Verum si quid amamus, modò similitudo aliqua concurrat in possessione aut Dominio maris, cum eâ quæ est in terrâ, erit ea omni procul dubio ex perceptione fructuum maritimorum, id est ex ipso mari erutorum. Sabbatismus ergo juxta quoque mari concedi debet, ut eum terræ concessum scimus. Rogare denuo liceat, at candidè, & citra ironiam, sitne aliqua aut indicta aut justa ex fructibus maris oblatio primitiarum? eane etiam Dei jubentis? populi ad solvendum debitum alligati? citra

sacrilegium non cessaturi ? debueritne etiam eadem tribui Levi, ut pote quæ sortem nec accesserit cedere loco sortis, conferri ab universis ? Nemo sit qui non intelligat hæc omnia nullâ lege, nedum præcipientis Dei, mandata : nemo qui dicat servata fuisse, nedum quispiam ut dixerit æquum fuisse id ut servaretur: quodque præcipuum, qui servari potuisse dicat, nemo de facili reperiatur. Alterum quod edoceri gestiam, est hoc, an aliqua primitiarum ex fructibus maris fuerit, sitve, vel & esse quiverit justa, positis illis quæ jam diximus ? Illud videmus quam curatissimè suos cuique sortium limites Moysen præscripsisse : quæ ratio cur nullos mari præfiniverit ? Illa facti constat ; eâ sublatâ, juris ne quidem vel ullius, per successus temporum deducendi facultas suppetat. Nolo hic unguis esse in ulcere. Fateor non credere me, Mosem hanc provinciam Rabbinis voluisse delegatam. Si quid mihi hic erroris impingendum sit, errabo cum Mose : cui mare limes, at nec id ipsum, sed limites se expandunt usque ad mare. Proindeque lineâ à torrente Ægypti & Cephâloniâ ductâ limes non est. Facilè veniam impetravero, qui sic cum Mose errare (si quis in eum error cadat) malim, quam bene sentire cum Rabbinis.

Quamquam non est veniam mihi impetrandam ut censere debeam. Nullius pretii sunt quæcumque Rabbini

bini isti nugantur : utpote quæ loco *Num.* 34. nitantur. At locum istum malè interpretantur. Nec enim (ut dici cœptum,) terminos ibi Deus maritimi imperii posuit, sed terreni quod à mari alluitur. Neque mirum Judæos Scriptores ad potentiæ suæ exaggerationem latiùs quàm oportuit terminos suos extendisse; nam & in mare Hispanum Dominium suum protendunt, quóusque illos imperasse credere, fatuum sit. Et licet totum mare dictum sit vel Romanum, vel Damascenum, vel Andalusium, sive Hispanicum, non propterea aut Romam solam, aut Damascum, sive Syriam, aut Andalusiam toti Mari Mediterraneo imperasse colligas. Appellationes illæ profectæ sunt à populis maximè ad maris illius littora illustribus & potentibus : quibus aliarum gentium & populorum littoralium juri nihil decedit. Evincit hoc, quod & in Nephtaliticâ tribu nobis adumbrari cœptum, ipsa Dei mens, quam nec aliam fuisse claret, cum terræ sanctæ terminus non jam à Josuâ, sed vel ab ipso Deo ponitur Mare Magnum, sive Mediterraneum. Neque enim de terminis Dominii Judaici qualē Rabbini volunt in textu *Ezech.* 47 vel unum fit verbum. Quod enim *Vulgata versio* illic ait, *plaga maris est mare*, illud in versionibus magis accuratis ita legas, *occidentalis* (supple terra) *est mare magnum.* Ita habet *Vatabli* versio. *Pagninus* vertit, *plaga autem occiden-*

talis est mare magnum. Et ut ut demus partem quoque Maris Mediterranei interjectam inter terræ Australis & Borealis terminos, Israëliticæ fuisse jurisdictionis; planum illud est, Deum istos terminos constituisse, idq; non ut mari imperarent Judæi, sed insulis intra illud spatium contentis; aut si (quod negem) mari voluit imperare, nusquam tamen Deus legitur navigationem populis interdixisse. Certè potuerunt Judæi hactenus esse domini partis maris, ut in insulis viventes, aut intra illud spatium navigantes & commorantes, cogere possent ut iisdem essent legibus ritibusq; obnoxii, quibus in terrâ sanctâ habitantes. Negare me verò jure merito & rectè, Deum voluisse Judæis privatim maris Dominium concedere, pervincunt quod S. Scriptura, (extra quam Rabbinos non moror, nedum ut contra illam) toties dicat, *Dominium terræ sanctæ extendi usque ad mare.* Ut enim dictum, mare terræ terminus est, agiturque proinde de terræ terminis & Dominii terreni. Neque quid certius, quàm cum termini agrorum & Dominiorum ex professo assignantur ab iis penes quos est illos definire, *usque* semper particula est exclusiva, nunquam inclusiva: sic ut nunquam limitato limes decedat; quem errorem errasse Magnum *Seldenum*, ipsum olim cum refutarem, miratus fui. Quippe ni? hoc enim si in formam syllogisticam cogatur, erit major in primâ figurâ particularis. A Rab-

A Rabbinis Hebræorum transit ad Græcos, & primos in Dominio maris ponit *Cares*, sed quos dicit maritimo Dominio abusos, & facientes piraticam. Dignos profectò authores & prædecessores hujus Dominii: neque sanè alia illius origo esse potuit quam violenta usurpatio. Successit *Minos* Cretensium Rex, qui devictis prædonibus imperio maris sit potitus. Si vera refert, hoc uno justior Minos fuit, quòd esset potentior. Adducitur ex Poëtis Dædali concluſi dictum, *Possidet & terras & possidet æquora Minos.* Sed vidit ipsemet ibi solutionem eodem suggerente, *Omnia possideat, non possidet aëra Minos*: & paulò post, *Cœlo tentabimus ire.* At enim ii qui fabulas Poëticas callent, alas Dædali interpretantur vela navis. Quod tamen si minùs placeat, indulgeamus fabellæ. Demus à Minoë obsessum mare, demus suum Dædalo alarum remigium, eum per iter non suetum gelidas ad Arctos penetrasse, arci tandem Chalcidicæ levem super adstitisse concedamus, stemus cum *Burgo* testimonio Poëtico, nihil quod inde sequatur aliud erit, quàm Minoëm mare classibus clausum tenuisse atq; obsessum, quod etiam ante ipsum prædones *Cares* factitarant. Non credibile est (Poëticis figmẽtis inhæremus) Minoëm, qui ob justitiam inferorum Judex constitutus est, hîc eodẽ jure cum prædonibus uti. Quam sodes hîc urnam quæsitor moveat, ipse quid audiat

diat, quid fateri ſubigat, quid caſtiget in ſemetipſo quod non eſſet ante caſtigandum? faciamus uti eodem jure. Jamne non ſtat prædones navibus ſuis mare inſtraviſſe eâ mente, ut ejus Dominium ab omnibus vicinis averſum, interverſum cunctis, ſibi ſolis vendicarent, aſſererent? adſertum ad ſe pertinere crederent? Hoc ſi dicimus, eâdem operâ dicimus illos ſuo jure uſos fuiſſe, & in debellatis ipſis, aut à Minoë mari exactis, nihil quod damnemus ocurret, quàm quod viribus inferiores, non cauſſâ aut jure deceſſerint valentiori, abſque hoc foret, dum vincunt habendi Domini maris. Totas exinde gentes noſter ſic enumerat, ut vel ſolis nominibus citatis obſtantia tranſcendere, contra obnixa debellare, proſtrata terere, poſſe videatur, nempe poſt Cretenſes, Lydios, Pelaſgos, Thraces, Rhodios, Phrygios, Cyprios, Phœnices, Ægyptios, Mileſios, Leſbios, Phocenſes, Corinthios, Iönes, Naxios, Eretrienſes, Æginætas. Dicam præfiſcini, parciorẽ hic me fore, & manus, quod ajunt, levioris: ut pote cui hæc jam dudum & omnia & ſingula confutatiſſima ſint meo, quem juſſu Dominorum Illuſtr: ac Præpotentium Fœderati Belgii Ordinũ conſcripſi, tractutu adverſus undecumq; doctiſſimum virum, doctorumque omnium non minùs quam ſæculi noſtri decus, *Janum Seldenum*, cui placebat id temporis novum aliquod naturæ Jus fabricare, quod

quod ipſo diſpeſcente lectori oggerebatur *Jus naturæ permiſſivum*. quod tamen *Burgo* placuiſſe, non video. Argumenti quo pugnat mucro eſt *Illuſtriorum & moratiorum gentium*, quales illos vult quos percenſuit, *jus gentium* conſtituere. Ac ſi dicat, quod apud civiliores & illuſtriores gentes ſemper obtinuit, eſt gentium juris. Atqui maris Dominium ſemper apud illuſtriores atque moratiores gentes obtinuit. Atque hæc quidem altera pars eſt ejus quod de jure gentium adferri poſſit, quod cum præcedenti proximè capite demonſtraverimus, non poſſe nõ arceſſi niſi ex principiis vitioſis, nunc demonſtrandum eſt, neq; ex facto ut ut plurium nationum exſtrui id poſſe. Reſpondeo igitur in hâc propoſitione, utramque & Majorem & Minorem eſſe falſam. Major limitanda utique eſt, & ad naturam, nec non ad juſtitiam naturalem redigenda eſt. Niſi ſic Major limitetur, id quod merè facti eſt, tranſmigrabit in jus, & dicendum erit jus naturæ petendum eſſe ex facto moribuſque gentium. Quod ſi eſt, fruſtra dicatur id eſſe jus naturale, quod natura omnia animalia docuit, ſive cujus veſtigia & ſimilitudinem etiam videas in animalibus ratione deſtitutis, licet in his rationem juris non habeant actus juris naturalis. Quo planè ſenſu libertas, conjugalis copula, liberorum educatio, ſunt juris naturæ, quia hæc etiam in irrationalibus reperias. Mare

quod attinet, ejus usum communem natura omnia animalia docuit. Piscibus æquor sine discrimine patere, etiam iviſſe in exemplum docet nos hoc illud Poëtæ,

Omne solum forti patria est ut piscibus æquor.

Limitari hoc quoq; debere ad ea quæ illustriores ac moratiores gentes justè faciunt, non quæ faciunt simpliciter, nemo sanæ mentis neget. Neque enim de facto populorum ejusque jure judicandum est ex ipso facto, sed ex ipsâ rectâ ratione. Hæc est norma facti, non autem factum rectæ rationis. Ideo est justum jure gentium Legatum non esse lædendum, quia rectæ rationi est conveniens innocentem non debere lædi, non quia hoc apud gentes receptum est. Maris navigatio libera est, quia recta ratio docet licere cuilibet populo cum alio mercari, recta ratio docet mare non posse à privato possideri, recta ratio docet mare non posse alienari, recta ratio docet hoc esse commune, quod gentium consensu non est divisum. Quid enim? apud illustriores & moratiores gentes multa obtinent injustè. Assyrii, Persæ, Græci, Romani, fuerunt gentes moratiores & illustriores: & tamen apud hos obtinuit mos colendi plures Deos, aut colendi per simulacra, quod tamen est (si quid Apostolo ad Romanos 1. & Actor. 17. credimus) contra rectam rationem. Obtinuit apud illos mos quovis fere titulo invadendi vicinas regiones, & graſ-

& grassandi quâ libuit, quod est contra naturam & rectam rationem. Ita de *Nino* Justinus. *Veterem & quasi avitum gentium morem, novâ imperii cupiditate mutavit.* Hic primus intulit bella finitimis, & rudes adhuc ad resistendum populos, terminos ad usque Lybiæ perdomuit. Fecit idem *Cyrus*, qui subactâ Asiâ, & universo Oriente in potestatem redacto, Scythis sola dominandi libidine bellum intulit. Et quàm quæsitis occasionibus Asiæ bellum intulerit Alexander, Græciæ Philippus Macedo, toti orbi Pop. Rom. ex historiis notum. Ut facta illustriorum gentium nequaquam argumenta esse possint, ex quibus jus gentium deduci queat, cum contra jus gentium omnes aliena invaserint. Licet itaque ex historiis quamplurimis probaret *Burgus* privatum Dominium maris Principibus & populis cessisse, efficiet nihil, nisi primò probaverit justè ipsis cessisse, & non per vim & potentiam majorem. Secundò, nisi probaverit Dominium illos extendisse ad prohibitionem usus commuuis, navigationis nimirum & piscatus. Tertiò, nisi probaverit alias gentes consensisse. Quartò, nisi probaverit illos imperasse Oceano, aut iis fretis per quæ Oceanus necessariò aditur. At quas etiam nobis gentes in proscenium *Burgus* adducat, videre prætium sit operæ. Ipsemet *Cares* damnat ut piratas, & abusos maritimo Dominio. Rectè sanè

hoc quod damnet, cum essent hominum despectissimi, & quos malis suis moribus ulciscendos boni quicumq; essent permitterent, de quo non ciendus modò in testem sit *Tullius* (Orat. pro *Flacco*) sed constat ut quod maximè, tralatitium fuisse, homines inconditos, insulsos, subulstos *Carum* nomine traducere. *Burgus* cum *Caricorum marium*, id est, per piratas infestorum, per latrocinia, per maritimas direptiones infamium meminit, poterat & non dememinisse καρικῆ τραγῷ *Hirci Carii* in illos aptatum fuisse scomma, quibus inferius nihil esse posse, constans esset opinio. Poterat tenere memoriâ divinum Platonem, cum bardum, buccononem, blennum designaret, talem esse dixisse κάρικον ἀνθρώπιον homuncionem Caricum, scire poterat, inoluisse passim, ut miserum cantando carmen deperdentes, Caricarum Musarum alumni audirent: quando & aliàs ii essent, qui ne quidem scirent quis esset communis hominum sensus: sic ut inominati quid scævive quotiescumque occurreret peragendum, Cares periculis dicerentur objiciendi, utpote quibus vel malè multatis vel & perditis Respub. nihil caperet detrimēti. Caribus jungit Cretenses, planè cum Bitho, ut ajnnt, Bacchium. Illos ut ut *centum urbes magnas habitasse*, ut ut *uberrima regna* tenuisse testetur Maro, fuisse tamen infrunitos moribus καὶ ἀπειρωκάλους non unus est testis. ut

ut enim missum faciamus, habitos illos & semper & quaquaversum mendaces, bestias malas, ventri obnoxios, sceleratos: vel solum in omnium summam venit illud τρία κάππα κάκιστα, καππαδόξ, κύλιξ, κρήτης: & quòd Cretenses cum Æginetis pariter improbis, vafris, versipellibus componendos esse, ferre solebat monitum. Cretensibus apponit Lydos, nec illos commatis melioris, tam vitâ quippe quàm moribus infames. unde & λυδιάζειν agere Lydorum in morem ac modum dicebantur, qui nihil sequiorem etiam quod vitam diffamaret, in se corpusque suum non admitterent: & cum jus esse in armis crederent, jura sibi data inficiati, nihilque non armis suis arrogantes, dictum fuit, eum qui in bello accinctissimum ac paratissimum quid ausus esset moliri, *Lydum in planiciem provocare*. Pelasgos quantùm attinet, legisse me non memini, quo unquam tempore potentes mari, nedum illius domini extiterint; mihi id saltim non sit verosimile, scienti antea non Pelasgos, sed πελαργοὺς dictos, quòd vagi, laris incerti, ciconiarum instar, quascumque terras peragrarent. Thraces, quos citat, non comitate, non ingenui moris benignitate noti, sed magis asperitate, (τράχυ siquidem asperum notat) & Martem Patrem, à cujus filio sua principia deducunt, exprimentes, regionem ad hæc (teste Pomponio) incolentes, nec cœlo nec solo tractabilem,

mirum non esset, si in piraticam & latrocinia extrusissent innata genti indoles, supra belluinam dura, inhospitali Caucaso asperior solum infœcundũ, propinquum mare. Rhodios navalis rei peritiâ, legum præstantiâ, ob exactos mari piratas claros fuisse nemo neget, atque etiam mari valuisse; mare privatim sibi habuisse, nego. Nulla Rhodiarum legum id ferat. Utiq; omnia quæsitissimo studio qui sic congessit, ut nihil ipsius diligẽtiam fugisse videatur *Seldenus*, nullam exhibere potuit, nedum ut id *Burgus* præstet, cujus hæc sunt post *Seldenum* spicilegia. Phryges Caribus sic confines & immixtos, ut ab iis ægrè discernantur, non est ut putetur rectè in exemplum trahi: cum & servituti natos minimo minùs proverbium doceat, *Phrygem non nisi plagis meliorem fieri*, & insipidos: dicterium quod eos serò & post sua damna sapientes facit, molles & effœminatos Virgilianum illud: *Quibus & semiviri Phryges*: & ad Cybellen cui non faciebant nisi evirati, à viris relegantur *verè Phrygiæ, neque enim Phryges* dicuntur; tunicas manicati, mithras redimiculati, crinem gestantes *vibratum calido ferro myrhâque madentem*: & quæ plura passim. Quæ, qualia, quantave mari designarint Cyprii, nescio; insulam esse scio, cujus fertilitas mira, & perpetuandi illam mari summa commoditas, ut se mari fortes redderent, adigente illâ eâdem fertilitate, quæ illi Maçariæ nomen indidit

didit, ne eâ illecti validiores egeniq; ea quibus affluebat ipsa sua quandoque vellent. De Phœnicibus cùm de Tyro loquuti sumus, dictum plus satis. Maris unquam Dominos Ægyptios fuisse nego, ac vixdum maritima tractasse fidenter affirmo. Nota sunt quæ *Caribus*, *Jõnibus*, prædonibus sociis gesserit *Psammitichus*. Sed nihil illa ad hoc Dominium. Claret terrarum parens, (talem *Crinitus* vocat) antiquitate, disciplinis quamplurimis adinventis, rerum Divinarum & syderum peritiâ, immortalitate animæ (teste Diodoro) primitus adsertâ. & sunt hæc quidem, nec quid ultra, ei laudum summa. *Milesios* mari valuisse navibus satis instructis, tùm conditum ab ipsis naucratium, testatur à navium robore dictum, tùm quod urbium maritimarum esset metropolis: Maris privatim Dominos non docent annales, nedum res gestæ, virtute pristinâ excidisse testatur illud πάλαι ποτ' ἦσαν ἄλκιμοι μιλήσιοι: Fuere quondam strenui *Milesii*. *Lesbios* maris accolas fuisse scio, scio navium copiâ nobiles, nec amplius. *Phocenses* à tenuitate suâ & paupertinâ conditione in piraticam exstimulatos, maria piratas infesta reddidisse, utique teneo, ut & in Carthaginenses fortiter fecisse refert *Justinus*, qui Massiliam eorum esse coloniam testatur. Dominium maritimum ipsorum intra θαλασσοκρατίαν stetisse compertissimum est. *Corinthios* maris Dominos

quod

quod facit, ſcire velim quo id faciat authore. A geminis maribus *Bimarem* dictam recordor, utque Iſthmo ſuo nobiles, ipſo etiam excidio & æris Corinthii, in id fluentibus aureis argenteiſq; dum ferali incendio (quo & funditus periit) hauritur venis nobiliorem. De *Jönum* maritimo Dominio privato nihildum invenio: maritima tractaſſe, navium magnam copiam habuiſſe, eſt apud Strabonem. Naxon non Dominium maris, quod mihi conſtet tam clarum fecit quam fecere vineæ, & Naxiarum mulierum partus octimeſtres, adhæc

Per mediam bene olentia flumina Naxon,
Unde ſuum potet Naxia turba merum.

Liberi itē Patris natales. Fuerintne *Eretrienſes* unquam maritimis expeditionibus clari, ignorare me fateor. Ægineta non ullum Dominium maris, ſed improbitas perfidiaq; noſcendos poſteris tranſmiſit; quæ tanta, ut nec Cretenſibus decederet, unde & diverbium Κρὴς πρὸς Αἰγινήτην, in improbos pariter & mutuis reciprociſque fraudibus alter alterum circumvenientes: *Athenienſes* quod ait de imperio maris cum Lacedemoniis certaſſe, mox videbimus cujus ſit ponderis. Videt candidus Lector, ſi probationes proferentur, quibus conſtaret ſingulas has gentes jus ac Dominium in ſuum quaſque mare obtinuiſſe, aliquid eas pro ipſis eſſe facturas. Cum verò de Dominio totius maris contenderint, manifeſtum

feſtum eſt, non de Dominio maris, quatenus in bonis eſt & poſſideri poteſt, ſed de potentiâ maritimâ certatum eſſe: qui enim claſſe prævalebant, facilè alios cedere toti mari coëgerunt. Si enim diviſio orbis aliquando facta eſt, neceſſe eſt mare pro indiviſo manſiſſe, neque enim facilè ad fidem, quin omninò credi non poteſt, uni nationi totius maris Dominium aſſignatum fuiſſe, ſed potiùs, quod cuique proximum erat, id terræ aſſignatum. Cum verò *Burgus* enumeret annos 862. uſque ad Æginetas, quibus nulla gens privatum mare poſſederit, ſed univerſum mare alicui ex enumeratis paruerit: facilè ex hoc evincimus, nulli in mentem veniſſe maris imperium ſuæ cuique terræ annexum fuiſſe. Itaque pro nobis operam hanc ſumſit *Burgus*, ut his probandis ſublevaret. Nihil enim aliud contendimus, quàm terram unicuique genti ſuam poſſideri, & in eâ gente à ſingulis teneri quantum jure obvenerit: Mare verò inter gentes diviſum nunquam eſſe: itaque nemini inhibitum interdictumve, quò minùs navigaret: niſi qui prædandi ergo, aut animo navigaret hoſtili. Dominium maris ita appellatum fuiſſe, quòd claſſibus prævalerent: non quòd aliqua gens mare poſſideret tamquam proprietatem. Hoc autem Dominium non depēdiſſe à vicinitate terræ. Alioquin infinita futura fuiſſe Dominia. Eſt ejus rei nullum evidentius, argumentum

quàm quod Domini maris toto mari imperitarent. & ſicut potentia maritima non erat diuturna, ſic quoq; Dominium hoc maritimum de gente in gentem commeabat. At certè ſi unicuique terræ Dominium aliquod aut territorium in mari competeret, donec eadem terra eſſet, etiam territorium marinum indiſſolubili nexu ei adhæreret, neque illud Dominium amitti poſſet, etiamſi alia gens claſſibus prævaleret, aut prædones maris clauſtra tenerent: non magis quàm in obſidione urbis, ea quantiſper non eſt capta, non excidit territorio ſuo, etiamſi hoſtis circumquaque omnia teneat, licet per aliquot annos. Ita Annibale Romam obſidente, ipſe ager in quo tentorium ſuum fixerat Annibal, emptorem invênit, publicâ proclamatione venundatus non minore pretio, quam ſi emptori vacua poſſeſſio tradi potuiſſet. At maris poſſeſſio, cum tantùm ſit imaginaria, non tantùm obnoxia aleæ Martis, ſed & ventis & turbini, neminem jure ſuo, ſi quid tale jus eſſet, exuere poteſt, etiamſi pontibus mare ſternatur: multò minùs ſi ſub alio climate claſſis inſtructa teneatur: quo uno nomine imperium maris occupatum, & aliquandiu detentum fuiſſe dicitur. Quod ait: *Æginetas maris imperio Athenienſes ſpoliarunt. Athenienſes verò maritimum principatum tenuerunt, donec ingruentibus bellis civilibus non minùs de hoc imperio quam de terreſtri cum Lacedæ-*

cedæmoniis decertarunt: Item, quod ait: *Lacedæmonii aliquando maris domini fuerunt, ut vel ipſi Athenienſes fatentur, cumque ab eo dominio ab Athenienſibus deturbati eſſent, claudum ſe gerere imperium cenſuêrunt, quod maximè cavendum eſſe Apollinis oraculo erant moniti.* Utcumque ejuſdem farinæ eſt cum jam dictis, illud addo, de imperio Græciæ decertatum eſt, cum verò Græcia multis inſulis referta ſit, terraque continens ſinuoſa ſit, veriſſimè poſſeſſio Græciæ claſſibus teneri debuit, magis quàm terreſtribus copiis. Verè ergo nec minùs venuſtè mare poſſidere dicitur, qui claſſibus prævalet; etiamſi naves omnes portu teneantur: Ita terreſtri bello campum tenere dicitur, qui terrore ſui hoſtes ſuos cogit in præſidiis ſe continere. Longiſſimè tamen abeſt, ut ex hoc Dominium aut proprietatem terræ conſecutus ſit. Quantò minùs Dominium maris, aut ejus proprietatem aſſequitur, qui ratione virium Dominus maris appellatur, cujus nulla vera poſſeſſio eſſe poteſt. An Demoſthenes, quem citat, confeſſurus fuiſſet, Athenienſes jure territorii excidiſſe, ſi Lacedæmonii cum exercitu Atticam ingreſſi eſſent? & tamen firma terræ poſſeſſio eſſe poteſt, maris non item. Quod de claudo imperio ſubjungit ex oracuło, claudum Regem reſpexit. Accidit id ſub Ageſilao, qui claudus fuit. Demus tamen imperium claudicare potuiſſe, ſi terreſtri-

bus non item maritimis copiis prævalerent. An imperium claudum dici potest, nisi mare sicut terra Dominii & possessionis humanæ sit? Clauda igitur donatio Dei fuit; terram promissionis dantis filiis Israël: cujus terminos mare posuit. Sunt hæc certé miseranda, & ad hoc solum valida, ut evincant inane esse quidquid de Dominio maris profertur, & fundamentum jacere non magis solidum, quàm ipsius maris est area, fluxu & refluxu suo testatum faciens, se à nemine posse teneri. Placet quod ait περὶ τῶν θαλασσοκρατησάντων opus integrum conscripsisse Castorem Rhodium, quod interciderit: nobis quippe in victoriam sufficit, extare titulum libri: ex quo colligas Dominatum, non Dominium: colligas hanc potestatem non fuisse stabilem, prout jurisdictio est in terris, sed prout vires maritimæ suppeterent. Neque enim vox κρατησάντες, aliud quàm eos designat, qui viribus prævalerent, ut fugatis aliis mare quasi sui juris facerent: quod facti est, non juris. Optassem ut laudasset authorem suum qui asseruerit Regem Syriæ Antiochum, mare suæ ditionis esse. Allegatur Seldenus, qui de *Mari clauso* nostrâ ætate scripsit. Ejus viri, ut ut omnia summa sint, & consummata, laudem apud doctos superantia; autoritas tamen non magis apud me valere potest, quam *Burgi*, adversarii quippe utrique, & cum utroque ad lineam paratum decertare.

tare. Non sum adeo incuriosus, ut inquirenti in hoc ipsum mihi passurus fuerim elabi, nusquam reperiri. Laudet autorem suum *Burgus*, non deerit quod respondeam, si desit rationi ratio, ea sic si tulerit, decedam & caussæ. Ut candidè; non elevo *Burgi* fidem, sublevet meam: quandoquidem ita ait memoratum, eat in contraria, doceat non hoc ideo monumentis consignatum, quia portentosum erat tam inhumana, tam fastuosa, tam in Deum impia, in omne jus incurrentia Antiochum ausum protrudere. omnibus scilicet antehac sæculis inauditum, annalium fidem exiturum, nulli verò juris & justitiæ sacerdoti probandum, ad summam nisi vitilitigatoribus juris ipsis quoque παράδοξον. Si enim mare omne sub ditione est, & accensetur terræ quam alluit: absurdum erat de Antiocho hoc literis mandare, quod dixerit: *Mare Syriarum sub ditione Reges Syriæ esse*, non minùs quàm si dixisset, *omne littus Syriæ sub ditione Syriæ Regis esse*. Quod certè neque dignum est dictu, neque dignum cujus perennet memoria. Subnectitur Antiocho Darius, Rex Persarum, teste Herodoto, potitus Indico mari. Sed & docet idem Herodotus, quomodo sit potitus, nimirum cum quidquid esset virium maritimarum apud accolas, fregisset: cursum quomodo tenuerit, occupando portus omnes, & præsidiis firmando. Hàc scilicet unâ viâ mare possidetur.

Hæc ſunt illa Ennoſigæo injecta vincula, de quibus ſtatim ſecuturis. Tali modo lubenter agnoſcimus gentes maris accolas partem aliquam maris poſſidere poſſe: poſſe quin imò & totius maris potentes fieri, quale eſt mare Indicum majoris ſpatii quàm Mediterraneum, de quo hactenus loquuti ſumus. Talis autem poſſeſſio ſicut bello acquiritur, ita ſolâ vi retinenda eſt. Quod ſi diuturna poſſeſſio jus conſtitueret, anteriores poſſeſſores jure nitebantur. Ineptus autem ſit, qui alleget ſeſe multis annis claſſibus prævaluiſſe, ideoque & jamnum deinceps prævalere debere, poſtquam à claſſibus inops ſit & bello fractus. Excipit *Burgo* Darium Xerxes maximus maris dominator. Ille Helleſpontum virgis cædi, injectiſque compedibus caſtigari juſſit, illique quaſi ſervo ſtigmata inuri; addita cauſſâ, *Dominus tibi hanc pœnam irrogat*. Non eſt quod laboremus, utitur *Burgus* autoritate Xerxis, nos ei opponimus judicium & autoritatem omnium quotquot hujus facti mentionem fecerunt. Nempe fuiſſe factum magis inſani hominis, quàm cui modo mens loco mota eſſet. At Dominum maris ſeſe appellat, agnoſco, appellant ſe Dominos maris Genuenſes, ut non eo quo Xerxes faſtu, ac neque proinde eo loco habendi, qui nec compedes injiciant, non cædant, caſtigent, ſtigmata inurant, pro Dominii jure. Verùm ex hoc tàm ſtultus intelligendus eſt

eſt Xerxes, quod mari pœnam irrogarit, quàm quod ſe Dominum maris appellaverit: non enim tam ineptum erat, ſi Dominus pœnam irroget ei cui dominatur, licet ea incaſſum eat, quàm dicere ſe Dominum maris.

Ait porrò Mare Rubrum *Erythræum* fuiſſe appellatum, ſumto nomine à Rege, qui illi dominabatur. Næ verò Graphicum mortalem. Quia ἐρυθρὰ Rubrum ſignificat, obvia erat conjectura à Rege Erythræo nomen maris manaſſe. Sed Moſes linguâ Ebræâ mare illud *Rubrum* vocat, cum Reges Græcorum nominum adhuc eſſent incogniti, & ipſa lingua Græca vixdum in Græciâ audiretur, nedum in Ægypto. Pergit. Ait Tyrios tam ſolemniter maritimum ſuum Dominium exercuiſſe, ut neminem, cui veniam non dediſſent, navigare permitterent, venerintque ideo in conſuetudinem Proverbii, *Maria Tyria*. Nobis, ut in antiquis origo Proverbii anceps eſt, quid verò mirum, ſi Tyrii mallent eos, qui ſuæ gentis eſſent, negotiationem per totam Græciam & Aſiam minorem exercere, quàm exterorum mercatores eodem jure uti. Haud dubio, uti hodie, ita tunc factitatum, ut peregrini advehendi jus haberent, non item exportandi. Fieri etiam poteſt, ut nautarum zelotypia rixarum cauſſas quæſiverit. Conſimile de Corinthiaco portu Diverbium circumfertur ἐ παντὸς ανδρὸς ἐς Κορινθον ἐσ' ὁπλᾶς. quod quidem Adagium

gium reperitur, sed originis æquè incertæ. Tyrios verò exteros maris sui navigatione interdixisse, probari in æternùm non poterit, neque huic probando facere poterit tam inanis conjectura, cum *Ezechielis* 26. &c. pateat isthuc, innumeras gentes merces suas intulisse; ac rursum extulisse quidquid Tyrus subministraret. Numerantur autem Lydia, Lybia, Judæa, omnes insulæ Græciæ, multaque nomina non satis nota. Et res sanè idem efflagitat, ut urbs per commercia ad tantùm potentiæ evecta quæ esset, etiam Regina maris diceretur: ut omnium navigationibus exposita esset. Sed esto, nemini navigare permissum fuerit, nisi cum bonâ veniâ: erat hoc in illorum arbitrio, si portu interdicerent: sed mari interdicere, cujus custodia haberi non potest, stultum potiùs fuisset. Neque quisquam hodie repertus est, ut ut juris sui tenacissimus, qui exteros littoribus suis prohiberet, nedum ut navigatione. Quod si quis tam inhospitalis fuerit; non est quod contendat ex privilegio licere sibi esse inhospitali. Natura siquidem suo beneficio maris communionem gentibus inter se esse voluit: ut sicut non omnia eâdem tellure aut ubique proveniunt, ita omnis omnium particeps fieret navigationis beneficio. Adducit noster illud Theocriti πολλὰς δὲ κρατεῖ γαίης πολλὰς δὲ θαλάσσης. Rursum, *Toto cum mare tellus & fluviis rapidis paret Regi Ptolomæo.* At enim-

enimverò κρατεῖν est imperio continere, atque maris imperium habere, & maritimis copiis prævalere. Sed cum mare paret Regi, quis non intelligit de hominibus dici, qui Regi sint dicto audientes? cum mare surdum dicatur. Facilè damus eos, qui intra præsidia Regis venerint, Regi parere debere. Quod si quas leges inter navigandum servari volet Rex, servandas: tales enim leges, communi navigantium utilitati serviunt. Quod verò dicit de toto mari θαλάσσα δὲ πᾶσα καὶ γᾶια, credo quia versus sic exigebat, certè laboraret Theocritus hic, si quid ejus in humeros recumberet probandi onus. De Alexandro item Burgus, *quod in Europæam expeditionem feratur: molitus, ut maris æquè ac terræ Dominus fieret, ut loquitur in Cæsaribus Julianus.* Sed hanc mentem Alexandro Julianus attribuit, quasi conjiciens de mente ejus. Sed sive Juliano sermonem istum tribuimus, sive Alexandro: illud constat; si Alexander totum orbem terrarum juris sui fecisset, gloriam potuisse quærere, non verò tale Dominium, de quo hic quæritur. Quid enim certius, quàm Alexandrum ita imperitasse, ut urbibus, provinciis, insulis, sua loca publica relinqueret, modò se Regem suum agnoscerent? Si ergo unaquæque regio proprietatem aliquam in mari habet, quod pars ipsorum territorii sit (ut *Burgus* contendit) id Alexander iis non ademisisset, sicut omnibus quæ publici ju-

ris essent, reliquit. Ex quo consequitur, esse aliquam appellationem Dominii, sub quâ proprietas rerum nõ transfertur, adeoque nec dominatione continetur. Assertioni suæ communiendæ citat noster ex Herodoto, *Qui bellum indicebant: terram sibi & aquam dari postulabant, nisi bellum mallent.* Terrâ & aquâ vita hominum continetur, id est cibo & potu. imperio ergo se submittit, qui utrumque præbet. Sed sub aquâ intelligi aquam marinam, res non patitur, cum ad potum inepta sit, & & cum hæc inter gentes Mediterraneas acta sint, frustra aqua præberi jussa esset, quæ ipsorum arbitrii non erat. Quod si de fontibus aut fluminibus intelligatur, nullam erit inter nos dissidium. *Athenienſibus*, ait noster, sacrificantibus in Delo, cum puero lavandis manibus aquam effundente, unà cum aquâ pisces de phialà exiissent, id interpretantes Delii vates, Athenienses maris dominos futuros esse pronunciarunt. Mirum cur in argumento tam serio ac gravi nihil ineptiarum prætermittat, modò domini maris appellentur. Notæ sunt Vatum adulationes, quasi ostentum sit, pisces effundi, si infusi sint. Cum verò agnoscamus, & multis historiis compertum sit, Athenienses maris Dominium invasisse, eodem pulsos esse, quid ad rem pertinet si tali loquendi more Delii Vates usi sint? Non est denique melioris commatis, quod *Burgo* nostro exemplorum

plorum agmen quod claudit, dignum visum est exemplum Antiochi Regis, cui Ptolemæi Dux magnos pisces & virides ficus miserit dono; quodque ipse interpretatus sit, oportere se maris Dominum fieri, vel ficus commedere, id est, ignavum fieri, ac mollem haberi. Certè nihil in eo exemplo masculi est, nihil quod stringat. Mirum si quid in tam imbelli, stramineoque, ac minimo minùs ignavo argumento, sibi præsidii ponat.

NOTÆ AD CAPUT IV.

Occidentalium Populorum, qui quondam floruerunt, Maritimum Dominium.

MIrum esse non debet, si qui eandem cum Clarissimo *Seldeno* orbitam *Burgus* terit, in eundem sese cum illo induat errorem. Orditur hoc quod excussandum in manus nunc sumimus Caput, à *Spinetis*, aitque: *Spinetæ populi ab urbe cognomine ad Padi ostium sitæ denominati, superi maris Principatu diu sunt potiti: mittebantque Delphico Apollini decimas ex maritimo proventu ita magnificas, ut Spinetarum celebris thesaurus ex iis decimis conflatus, etiam Strabonis ætate, commonstraretur.* Fuerit ne urbs aliqua ad Spineticum Padi ostium sita, quæ à populis *Spinetis* nomen habuerit, nescio: Hoc

 scio,

scio, unum ex Padi ostiis fuisse, Spineticum nimirum illud, quo Claudius de Britannis triumphans intravit Adajam. Scio nomen ei ab urbe *Spina* inditum, quam conditam volunt à Diomede, de quâ *Plin. lib. 3. cap. 16.* Sed hos esse illos Spinetas, quos, (quòd & *Seldenus*) *Burgus* accolas Padi facit, quos libro quinto *Strabo* recenset, nego: Sunt magnæ quondam & famâ celeberrimæ Græciæ cujusdam urbis; quæ nunc vixdum veteres ruinas ostentat, & viculus ignobilis retinet *Spinulæ* nomen. Item *Strabo* autor est, thesaurum illum Spinetarum, de quo noster, appellatum fuisse *Spinelium*. Cæterum quid à thesauro infertur ad Dominium vasti maris? Rectè rem putantibus, hæc diu ante Romam conditam obtigisse necesse est: quo tempore res Italiæ tenebantur ab iis qui latrociniis plurimùm pollebant. Apud *Virgilium* Evander ad Ænæam ait, *Vivitur hic rapto.* Itaque sic proventus maritimi (si vera narrantur) alii non fuerunt, quàm ex prædâ piraticâ. Siquidem & piratæ soliti sunt Deos talibus oblationibus demereri. Quod de privatis nemo miretur, cum nec Israëlitæ à tali cultu abfuerint: Deus enim apud Prophetas dicitur abominari holocausta ex rapinâ. Quis enim alius proventus maris esse possit, imprimis cum tam magnificus & celebris fuisse dicatur? Quis unquam fando audivit ex piscatu decimas persolutas fuisse?

fuisse? Tale exemplum totâ Græciâ non apparet, ut neque ex aucupio aut venatione ferarum. Quidquid enim inde eruitur, vix est solvendo labori. Et quis non agnoscat (ut ut vel eundem cum *Seldeno*, *Burgoque* errorem errare velimus) à civitate ad Padum sitâ, piscationem exercitam non potuisse esse nisi in proximo mari, & non per totum mare Hadriaticum multorum dierum itinere? Itaq; quæ de principatu maris hic dicũtur, quo Spinetæ aliquamdiu potiti sint, confirmat sententiam nostram: nimirum Dominium maris istâ ætate non fuisse solitum accenseri ditioni terrestri, & iis qui rerum in terrâ potirentur; sed sub Dominio piratarum fuisse, siquidem Dominium dicendum est, aut principatus mare sui juris facere, aut per maritimas copias clausum tenere. Nunc ad *Tyrrhenos.*

Tyrrheni, ait, *longum tempus mare Inferum tenuerunt, quod & nomen ab iis sortitum est. Ac Tusci Supero Inferoque, quibus Italia peninsulæ modo cingitur, sunt potiti: Nomina sunt argumento, quòd alterum Tuscum communi vocabulo gentis, alterum Adriaticum ab Adriâ, Tuscorum Coloniâ, vocavere.* Utique & hæc confirmant phrasin illam, *tenere mare*, aliud non significare, quàm in illo viribus prævalere: Nam si quod verum Dominium fuisset, non tam facilè uni alios cedere coëgissent. Quòd verò de nomine arguitur, certum est, omnia maria à proximâ terrâ no-

men accepisse. Pergit. *In Oceano Occidentali Veneti Galliæ populi ad ostium Ligeris incolentes, sunt dominati ante Julii Cæsaris tempora, à quo fuere subacti; ut etiam in mare, quod Narbonnensem Provinciam alluit, Massilienses imperitarunt.* Dico ego fidem omnem superare id quod de Dominio Oceani dicit. Si Cæsar hoc diceret, non suis uteretur verbis, sed Cæsaris. Quod si excursibus mare infestarunt (quod Cæsari credimus) non hoc est Dominium maris sibi asserere: sequeretur potius ex hoc Dominium sibi arrogasse locorum maritimorum, quæ infestarunt, nisi credamus mare habitatum fuisse. Ab aliâ mente Plinius loquitur: qui de lino acturus, ex hoc confecta vela dicit: Conqueritur *homines limites, quos natura humano usui posuit, violasse, quæ cum præruptis montibus terram à mari discreverit quasi terminos ponens, quos transgredi nolit: homines eò audaciæ provectos, ut & ipsum mare perscrutari, & si quid in recessu absconditum habeat, inquirere ausi sint.* Quid dicturus fuisset Plinius si audiisset esse gentes, quæ dicerent, Oceanum esse sub ditione sua? Quod de mari Narbonnensi ait: damus Massilienses ejus ita potitos fuisse, ut in Græciâ & Propõtide illi qui classibus prævalerent. Hoc dici potuisse, quod mari imperitaverint, quod mari dominati sint, non contradicimus. Quod si quis inde à cõjugatis inferre velit, dominari respicere ad dominos, futilis sit. Scimus voces imperitandi

tandi & dominandi per Catachresin tribui potentiæ maritimæ, ut non sit necesse mare Imperium, aut Ditionem dici, aut Dominium propriè dictum. Addit: *Carthaginenses ante Agathoclem Siciliæ Regem imperium maris habuere: ab hoc spoliati rursum deficientes ab Agathocle receperunt. Qui partum olim à majoribus, & quasi hæreditario jure sibi relictum principatum tenuit usque ad primum cum Romanis bellum, qui illum amiserant.* Dico denuo, si hæc non suis sed alicujus authoris verbis diceret, aliquid dixisse videretur. Sed si verè principatus maris hæreditario jure Carthaginensium erat, mirandum est inter causas belli cum Romanis suscepti nusquam allegari hæreditariam possessionem maris invasam à Romanis: Quid enim justius, quàm si quis vi armatâ fines alicujus populi invaserit bello, idem arceatur. Atqui licet undique conquisitæ belli causæ sint, nusquam Dominium maris allegatum, nulla hujus mẽtio, sed terræ: quòd quisq; tenuerat. De Siciliâ multa disputatio fuit: nulla de mari. Perventum est ad Romanos, in quos quidquid hactenus aliis gentibus circam maris Dominium attributum legimus, jure victoriæ cessit. Itaque de horum Dominio maritimo non est ut alios interpretes audiamus, quàm illos ipsos, quorum certè suffragio standum est: cum credi non possit, eos jus suum minutum voluisse, aut ab imperio aliquid delibatum, cum ejus asserendi & propagan-

pagandi ſtudioſimi fuerint. Ipſos ergo audiamus. Sic Iuſtin. Inſt. de rer. div. *Videamus de rebus quæ vel in patrimonio noſtro, vel extra patrimonium noſtrum habentur. Quædam enim naturali jure communia ſunt omnium, quædam publica, quædam univerſitatis. quædam nullius, pleraque ſingulorum* § 1. *Et quidem naturali jure communia ſunt omnium hæc, aër, aqua profluens, & mare, & per hoc littora maris: Nemo igitur ad littus maris accedere prohibetur: dum tamen à villis, & monumentis, & ædificiis, abſtineat, quia non ſunt juris gentium, quemadmodum eſt mare.* § 5. *Littorum quoque uſus publicus eſt, & juris Gentium, ſicut & ipſius maris. & ob id liberum cuilibet eſt caſam ibi ponere, in quam ſe recipiat; ſic & retia ſiccare, & ex mari deducere: proprietas autem eorum poteſt intelligi nullius eſſe: ſed ejuſdem juris eſſe, cujus eſt mare, & quæ ſubjacet mari terra vel arena.* § 12. *Feræ autem beſtiæ, & volucres, & piſces, & omnia animalia, quæ mari, cœlo, & terrâ naſcuntur, ſimul atque ab aliquo capta fuerunt, jure gentium ſtatim illius eſſe incipiunt: quod enim ante nullius eſt, id naturali ratione occupanti conceditur.* Hactenus Juſtinianus. Quid adverſus hæc tam plana tam aperta proferri poteſt? Audiamus Burgum. *Teſtantur Dyoniſius & Appianus, non ſolùm mari Mediterraneo Romanos fuiſſe dominatos, ſed Oceano etiam, quacumque navigabilis eſt, & magnis copiis, magniſque præſidiis & claſſibus, illud ex omni parte vallantes, quaſi caſtrum aut munitum quendam locum mare*

mare cuſtodiiſſe, ut verum fuerit illud Poëtarum; Terræ & maris ſceptra & monarchiam. & Virgilianum hoc: *Qui mare, qui terras omni ditione teneret.* At dico, ſi de proprietate quæritur, Imperatorem jam nunc pro me reſpondiſſe: mare cum dicit tam jure naturali quam gentium eſſe commune. Non obſtat huic effato mare præſidiis & claſſibus teneri à Populo Romano. Non ignorabat hoc Juſtinianus: neque ab illius è vivis exceſſu hæc agi cœpta ſunt, cujus imperium fuit viribus imperii jam tum deficientibus & vergentibus ad occaſum. Nulla ergo in his contradictio eſt, mare dici commune jure naturæ & gentium, & mare contineri ſub imperio Romano. Nec eſt quod *Burgus* præſidium à Poëtis ſperet, qui ſceptra maris appellant, & mare ditione teneri. Quis tam rudis in Poëſi, ut ignoret Poëtas delectari phraſibus à communi loquendi uſu remotis: & metaphorâ uti malle longè petitâ, licet propria locutio obvia & in promptu erit. Ita Oceanum legibus ſubdere, ut de Scipione Claudianus; ut de Pompeio Petronius:

Quem ter modò ovantem
Jupiter horruerat, quem fracto gurgite Pontus,
Et veneratus erat ſummiſſâ Boſphorus undâ.

Quæ certè vel ipſum Xerxem fatuitate ſuperant, niſi licentia Poëtarum excuſaret. Itaq; ne immoremur his revellendis, eos audiamus qui ſobriè loquuntur, nec à

Poëtico œstro sunt perciti, inter quos panegyristæ primas ferunt. *Claudius*, ait noster, *post receptam Britanniam navalem coronam fastigio Palatinæ domus juxta civicam fixit: trajecti & quasi domiti Oceani insigne.* Rogare lubet, an mare trajecisse tantundem atque sui juris fecisse? an ex trajectione maris hæreditarium aliquod jus in mare quale Cartaginensibus *Burgus* tribuit? Nec dixit domitum Oceanum, sed quasi domitum. Meliori certè jure Cajus Caligula Oceanum domuisse dici potest, cum conchas in littore milites suos jussit legere, & exuvias Oceani secũ ducere, quasi in triumphum: Quod miror *Burgum* non protulisse, cum nihil proferat ad quod non magis expedita sit respõsio & in promptu. At hic ipsius Cæsaris vox est, & constat eo animo loquutum, ut in proprio & communi sensu intelligi voluerit: non translatè, non figuratè, sed simplici modo Oceanum spoliari jussit, spolia ejus in triumphum duci. Nullum præsentius argumentum devicti hostis, quàm si de illo triumphatum sit. Credo æmulatum fuisse Claudii coronam. Certè minùs insanivit Claudius, sed non magis sapuit. *Carausius pacandum mare quod Franci & Saxones reddebant infestum, Domitiano imperante, suscepit, cumque id Constantinus Chlorus deinceps domitis profligatisque piratis purgasset: Oceanum terris omnibus majus elementum Romano Imperio dicitur adjecisse.* Hic est Dominatus Impp. in mare, id

re, id à piratis purgare. Ita mare pacari dicitur, id est tranquillum reddi, ex infesto. Hâc notione Imperii pars est. Verè autem Oceanus omnibus terris major est. Sed & Piratæ, Oceanum possederuntne, cujus vix minimam partem infestare poterant? Apparet certè mare dici *possideri*, ab eo qui plus virium habet in mari. *Atqui de Romanorum Dominio luculentiora habemus testimonia, quod suum appellabant expresso Dominii nomine. Ideoque cum illud Cilices invasissent nudatum Romanis præsidiis ob bella civilia, sublatisque commerciis, rupto fœderegeneris humani, sic maria bello quasi tempestate præclusissent, ut navigationem securam redderent Romani maris Domini, maritimum imperium demandarunt Pompejo.* Hæc noster. Nos verò etiam demus suum appellasse, demus dominii partem fuisse, maris dominos fuisse, non de vocibus aut de appellatione quæstio est: sed de re. An tale aut imperium, aut dominatus eam vim habuerit, ut mare non amplius fuerit aut juris naturalis aut Gentium? Justinianus dominus maris, & qui demandare imperium ejus potuit cui voluit, numerat id inter ea quæ naturali jure sunt communia; neque tamen abdicat se illâ potestate, quam Populus Romanus in Imperatorem contulerat, ut terræ marisque dominus esset. Discreta ergo illa sunt, Dominium, Jus Dominii, pro Dominio proprietatis: quanquam nos po-

ſtrema iſta duo tuemur idem valere, eoque claſſi τῶν ἰσοδυναμούντων accenſenda. Ut innuimus, quin & diximus, jus dominandi, ſive imperium, arbitrium maris continet: non ut mare præcludat, ſed ut liberum præſtet, commercia, piſcationes, navigationes, & ſi quis alius maris uſus eſt, ut tutetur, ut omnibus ſecuritatem præſtet utendi in re communi, quà libuerit, quà expedire ſibi crediderint. Dicetne me quiſpiam coarctare Jus Regale, imperium humanum? Apage eſto. Sit orbi ſua quies, ſit ſuo ſæculo ſua pax, maximum hoc bonum Regum, maximum humani generis, petitur hâc cœlum viâ. Reddunt Regem Deo ſimillimum quæ confert beneficia, ea præſertim è quibus emolumenti nulla ſpes, ipſum mare pacatum ſuorum fructuum pars eſt non ultima, ſi non & potiſſima ipſi imperanti, imperio, toti univerſo. Ad nocendum ex adverſo valere, non eſt niſi peſtiferæ feraliſque violentiæ. Sequamur antecedentem. *Hoc igitur imperio uſi*, (ſupple Romani, & verba ipſius ſunt) *exteris barbariſque navigandi legem modúmque præſcripſerunt, uti Antiocho Regi Syriæ, & Carthaginenſibus, aliiſque.* Sodes, ſpectatiſſime *Burgi*, quid continebant iſtæ leges? An né navigarent omnino? An né piſcarentur? Quid alienum magis à veritate? Immo hæ leges præſcriptæ ſunt, nè apparatus bellicos in mare producerent; trirenium, omniumque quæ bello inſer-

viunt,

viunt, determinatus eſſet numerus, neq; tantus ut cuiq; timori eſſe poſſet: non ergo libertas navigandi adempta, ſed aperta eſt, eſt aſſerta. Quòd ait, *à Cæſaribus maris præfecturam datam, quaſi provinciam,* ambiguo non caret: vera loquuturis, data fuit non aliter quàm Provincia quælibet, id eſt ad tutandam pacem publicam: qualem comprimis maritimam dari provinciam ſit conveniens, ad arcendos ſcilicet prædones. Majus argumentum *Burgo* Juſtinianus ſufficit. Hunc, ait ipſe, navigantibus Helleſpontum impoſuiſſe vectigal. Unum dicat *Burgus*, ſintne liberæ ædes quæ & ſervitutem debent? deſinatne quotieſcumq; oneratur proprietas, eſſe proprietas? deſinuntne calices, cæteraque ſacris uſibus deſtinata, id eſſe quod ſunt cum diſtrahuntur ad redimendos captivos? deſinitne filius patri eſſe filius, quin & homo, quum venundatur, diſtrahitur, inſuperabili patris fami ſublevandæ? Jam non in commercium veniens, ſed vel ſervus, omnibus quæ propter hominem creata ſunt rebus, quæ ei terrefacta, tremebunda non poſſunt, non famulari ex indicto, eoque abſoluto, non convellendo, è divino ore pronuntiato, redditus inferior, homo ruet ipſe, vivum ſpiranſque & typon Dei vivi, ita ſciſcentis, ita volentis? Nos candidè ut ſemper. Fatemur ergo hanc vectigalium impoſitionem non tollere navigandi libertatem naturalem, quotieſcumque

ipsius libertatis tuendæ gratiâ vectigalia istiusmodi imponuntur. Quis ut ut liberrimus, ut ut omnimodæ libertatis tradux, ægre ferat, sibi si relinquatur, vectigal imponi ad arcendos illos qui jugulum suum petant, aras, focos, divina, humana omnia temeraturos, eversuros, in suam perniciem, ruinam, necem, conjuratos, optimi videri cum volent, animam præter miseram nihil relicturos? Occasionem hic facti excutiat *Burgus*, ipsum quin & factum. Erat illuvie barbaricarum incursionum Imperium Rom: fœdè inundatum. Barbari accolæ erant Euxino mari: erant tenendæ in præsidiis adversum Barbarorum hos excursus excubiæ: erat ditionis Romanæ quidquid extra Euxinum mari alluebatur Mediterraneo. Notum illud est Taciti; *Neque quies gentium sine armis, neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine tributis*, &c. Caussa ergo vectigalium imposítorum, non quod Hellespontus esset in dominio Cæsaris; sed quia classis tutando mari Cæsareis tenebatur impensis. Jungamus quòd non exteris præternavigantibus impositum fuerit hoc quidquid erat vectigalis, aut quoque seorsim; sed subditis. Non repetam quæ Cap. 3. mei adversus Anonimum Scrutinii Scriptorem libertate Venetâ tractatus adstruxi; cujus hæc summa, inde colligi, cæteris aliis locis vectigal impositum fuisse nullum. Quod si quis pari curâ angustias freti alicujus, sinus,

sinus, æstuarii, diverticuli, Isthmi, impensis suis à Prædonibus custodire instituerit, nemo non lubens aliquod exsolvet vectigal ad istiusmodi expensas sublevandas. Agere Juris-Consultum hic *Burgus* occœptat: paria facienda sunt. Ait; *Cum Dominium hoc esset publicum, hoc est, Populi Romani, ipsius portiones aliquot locari, & per privilegium concedi consueverunt, ut in iis solis piscaretur quispiam, fructumque caperet*. Non esse publici juris sed communis, idq; ex jure naturali & Gentium, nec non ex civili, supra probavi. Ad ea loca non respondet, sed allegat *l. Injuriarum, actio 7. §. si quis ff. de Injur.* Sed hæc lex disertissimè contrarium tradit. Quæritur enim quâ actione uti debeat; qui in mari piscatione uti prohibitus sit: & dicit textus, *esse qui putent, hunc qui prohibet, esse similem ei qui in publico lavare, vel in caveâ publicâ sedere &c. prohibeat: nam & hic injuriarum conveniri potest*: Hæc lex. Non ergo dicit piscari in mari esse juris publici, sed habere illi aliquid simile, secundùm opinionem quorumdam. Quæ verò sequuntur, dubium omne eximunt: ait enim, *& quidem mare commune est omnium, & littora, sicuti aer: & est sæpissimè rescriptum, non posse quem piscari prohiberi*. & postea: *Usurpatum tamen & hoc est, tametsi nullo jure, ut prohiberi possit ante meas ædes, vel ante meum prætorium piscari, quare si quis prohibeatur, adhuc injuriarum agi potest: id est, etiamsi usurpatum sit, ut quis eo ca-*

sus

su prohiberi possit. Quâ fronte *Burgus* hanc legem allegare ausus sit, ut inde probet mare non esse communis juris, sed publici, judicet æquus Lector, cui veritas curæ est. Secundò allegat *L. Aristo ait, ff. de Rer. division.* Legis verba sunt. *Aristo ait, sicut id quod in mari ædificatum sit, fieret privatum, ita quod mari occupatum sit, fieri publicum.* Verùm & hæc lex ei obversatur: Nam sicut privatus in mari ædificans, quidquid occupaverit, privatum facit; ita ex communi fit publicum quidquid publico nomine occupatum fuerit. Non de tali occupatione loquitur, cum quis hoste aut prædonibus fugatis potẽs maris factus sit; sed de tali occupatione, quæ similis sit ejus qui ædificat in mari: puta si civitas portum faciat, & sic partem maris occupet, redigendo in portus formam, aut pomœria urbis in mare extendat, aut omnino à mari separet. Talis occupatio & à privato, magis ergo publico nomine fieri potest: & solet fieri. Aristonis mens est, distinguere inter occupationem privato nomine factam, & publico nomine. Si scriptum ejus exstaret, plenius de mente ejus constaret. Nunc compilationes à Triboniano factæ mentem authoris sæpe non permittunt nobis constare. Sed quid cæcutimus in meridie. Hic ipse titulus enarrat omnia quæ publica sunt, omnia itidem quæ communia. *Ita l. 2. §. 1, Eod. Et quidem naturali Jure communia sunt illa, aër, aqua*

aqua profluens, & mare, & per hoc littora maris. De Publicis *L. 4. §. 1. eod: Sed flumina penè omnia, ut portus,* publica sunt. *L. 5. Riparum usus publicus est, sed proprietas eorum, quorum prædiis hærent.* Quod si mare postquam jure belli occupatum est, fieret juris publici, de nullo mari amplius dici posset, esse id juris communis. Nam præterquam quod totum mare Mediterraneum populi Romani erat, ut & Oceanus, quatenus Imperium Romanum alluit, ita si quod mare extra Imperium Romanum fuerit, ejus erit populi à quo tenetur. De nullo ergo mari dici potuit, quod fuerit juris communis, sicut nulla terra juris communis est. Itaque ineptè imò falsè tot legibus traderetur mare juris communis esse. Tertiò allegat *L. 2. §. 8. & 9. ff. Ne quid in loco publ. Adversus eum qui molem in mare projecit, utile interdictum competit ei cui forte hæc res nocitura sit: si autem nemo damnum sentit, tuendus est is qui in littore ædificat, vel molem in mare jacit. §. 9. Si quis in mari piscari vel navigare prohibeatur, non habebit interdictum: quemadmodum nec is, qui in campo publico ludere, vel in balneo publico lavare, aut in theatro spectare prohiberetur, sed in omnibus his actione injuriarũ utendum est.* Ex hoc loco videtur *Burgus* elicere velle, mare esse locum publicum, ex eo quod sub titulo reperiatur qui de loco publico agit. Verùm aut fallit, aut fallitur. Si enim mare pro loco publico haberetur, nihil

hil causæ erat cur interdicto locus non esset. Quia verò locus est communis, non publicus, non datur directum interdictum, sed utile. Ratio æquitatis par est: verba tamen edicti cum non nisi super loco publico disponant, repugnant. §. 9. Agitur de interdicto, quatenus neque directo neque utili locus sit, sed injuriarum actione utendum sit: non ideo inferendum, quia de mari sermo sit, de loco publico sermonem esse. Nam cum de actione injuriarum sermo sit, nihil necesse est de loco publico sermonem esse.

Veniamus nunc ad constitutionem Imp. Leonis, quam pro sese *Burgus* citat. *Quin*, inquit, *imperialibus sanctionibus refutatâ, ut injustâ, maris communione, firmatum est non minùs maris adjacentis quàm terrestris fundi esse dominos eos, qui maritimas oras possident.* Respondeo ego, hanc constitutionem Leonis non abrogare communionem, nedum ut iniquam dicat. Sed neque Dominium maris privatis defert. Agit de facultate piscandi. In hoc juri anteriori derogat, ut sicut antea qui prædium maritimum possideret, si illic piscari volentes prohiberet, injuriarum teneretur. Mutat hoc, æquum esse dicens, ut qui illic prædia possident, quocumque titulo utilitatem potius capiant, quam alii, qui nihil in eo habent juris. Intelligi hoc de re quæ juris communis fuit: sicut de usu littoris supra vidimus:

Cum

Cum verò piscatio commodis alluentis maris accenseatur, in illâ utilitate præferri debere loci Dominum. puta si piscari volet: Ait enim, *si prædii dominus piscandi artis ignarus non sit, num ipsi dormiendum erit, aut in aliorum oris errabandus piscabitur? in suis autem id ipsi non licebit? Sancimus itaque, ut quisquis oras suas inconcusso jure possideat, illorumque dominus sit, & qui sine ejus permissu illorum emolumento frui voluerit, illos propellere possit. Nam quem admodum terrenis locis juris est, ut quicumque domus Dominus sit, is præter illius usum vestibulum quoque atque atrium possideat: ut ita maritimis obtineat, rationi esse consentaneum putamus.* Hactenus lex. Jus ergo anterius in littore mutatum est, ut occupanti vel aliquo titulo possidenti liceat pro suo habere, & cum utilitatis sit piscatio, ut hâc præ aliis utilitate fruatur. Primùm notari debet de jure privatorum agi: secundò de jure piscandi: tertiò quatenus piscatio pars prædii dici potest. Si mare privatæ possessionis est, communitatis non est, aut Reip. Quod ad jus piscandi attinet, ex hâc l. colligi potest, prohibitionem fieri posse ab eo qui ipse piscatur, idque quatenus uni aliis impedimento essent: ait enim, *ne à piscando quiescere, aut alios oras quærere cogatur.* Quatenus verò prædio cohæret, maximè consistit in remoris piscatoriis, & siccandis sagenis aut retibus. De quibus lege sequenti statuitur, distantiam esse debere 365. pas-

 suum.

ſuum. Ex quo apparet, jus illud maritimum proportionem habere ad prædium, non ad plagam terræ aut regionis. Tale jus hic non impugnamus, de jure maris univerſim conſiderati quæritur. Itaque hanc ipſam legem in rem noſtram vertimus. Ex eâ colligimus ubi maritima prædia tali jure non utuntur, manere diſpoſitionem juris anterioris, nimirum liberum eſſe mare & littus, & juris gentium, ut ſi quis piſcari impediatur, actionem injuriarum inſtituere poſſit. Quod *Emanuel Comenus* cœnobitis plurima jura maritima largitus ſit, idem ex lege Imperatoris Leonis originem duxit, & ex eâ interpretationem capere debet: nam & cœnobitæ privati ſunt. Itaque ſi quis ſeſe tale jus habere ex indulto Principis probaverit, jure ſuo fruatur. Tales exceptiones regulam confirmant in non exceptis. Quod de *Trajano* dicitur, longè ante Leonis legem contigit: Atqui Leo teſtatur ante ſuàm conſtitutionem oras maritimas, & piſcationis jus circa has liberas fuiſſe, ſic ut injuriarum actio daretur adverſus prohibentem quemcumque. Itaque ſi conſtet, Trajanum in eo quo Tharſo urbi conceſſit, juri communi derogare voluiſſe: cenſendus eſt, extra hoc, voluiſſe ſervari jus commune. Sed non tantundem valet hæc referre verbis ſuis, quàm authoris alligati. Vidimus enim ex d. Conſt. Leonis, *Burgum*

gum auſum inferre, refutatâ ut injuſtâ maris communione, firmatum eſſe maris adjacentis dominos eſſe. Cum tamen injuſtum dicatur à Leone, injuriarum actione teneri, qui tales piſcari prohibeant. Videamus tamen quid dicat. *Trajanus urbi præter principatum circumjacentis territorii, Dominium quoque Cydni fluvii, & alluentis maris conceſſit.* Haud dubiè tale Dominium maris conceſſit, ac fluvii Cydni, quale Imperatores ſibi tribuunt. At illi ita Domini fluviorum erant, ut proprietas illorum à prædiis vicinis non tolleretur. Rurſus ita maris domini, ut uſus maris communis eſſet ex jure gentium ac naturali, ut ſupra vidimus.

NOTÆ AD CAPUT V.

Principum ac Populorum, qui adhuc florent: ac primùm Pontificis Maximi, Cæſaris, ac Venetorum Maritimum Dominium.

SIc Burgus. *Celebris eſt excommunicatio adverſùs piratas mare Eccleſiæ diſcurrentes, non ſolùm prædantes, ſed vel tranſeuntes. Mox exſtat & Statutum Urbis à Summis Pontificibus approbatum, quo civibus Romanis, habitatoribus urbis & diſtrictus, piſcatus in mari conceditur quidem, ſed in ripâ regionis Arenulæ, videlicet Sanctæ Severiæ & Pauli,*

Pauli, & in piſcariis quæ proprios dominos habent, piſcari prohibentur. Ingenuè ut dicam, ſunt hæc minuta, ſunt & nobis digito monſtrata, noſtris hiſce ad Prolegomena *Burgi* notis, quàm poſſint illa de facili tranſmitti. Nec aquila muſcas captet. Lybicum Leonem curculionibus moleſtum eſſe, ſit vel deridiculò. Certandum preſſiùs ſtringentibus. Eſto, vera dixerit. cui fini hæc? numne ut piſcatui interdicatur ejuſve libertati? nihil minùs. Is ſi finis eſſet, quid foret, niſi enecare plebem; cum tertiam anni partem minimo minùs expleant piſculenti à Romanenſi Epiſcopo injuncti dies: cumque & ipſi numeroſiſſimæ, non infrequens levandæ fami ſit eſus ranarum, limacum, concharum?

Quorſum verò etiam in Liguſtico ſpes emenda ſit pretio à conducturis? quorſum, illo præſertim ſterili, (*mare ſenza peſci*) prohibendi? Non video. Certè in Batavià noſtrâ, cum mare omnis generis piſcibus ſit quàm refertiſſimum, eorumque etiamnum, quos vix ſolo nomine norit Italia, hactenus, ut tot Urbium incolis per abundè ſufficiat, nec minùs tamen populis adjacentibus ſubminiſtretur quantùm valeant conſumere, tam eſt inauditum, quàm quòd inauditiſſimum, facultatem piſcandi libero mari in locatum conductum venire. Illi tamen Batavi ſumus, quos res duræ bellorũ, nihil minùs quam prædefinita exigentium, Adraſteæ, ada-

adamantinæ neceſſitates impulèrũt, ut ut contra nixos, ad illa cuncta excogitanda, quæ in quantillamcumque lucelluli partẽ eſſent ventura; modò quid ne obſiſteret aut natura rerũ, aut æqui bonique ſuprema ratio. Hanc cum totius populi ſalute paria facere, ſemper illis viſum, qui ſic numen propitum vovent, ut de ipſâ patriâ fuerint commeriti. Det hoc ſibi *Burgus*, ut hic illud *μηδὲν ἀγαν* ſibi fixum permittat. Qui piſcatorculi ſunt ut premantur! Quantus Pontifex, ut premat! preſſos velit! Si preſſet nec ſibi ſuffecturos! actorum ſine fine, ſine honore laborum, jure querulos! ſudorem ſanguinem, vitas, periculis expoſita quiritaturos! ipſemet Româ in medià non habiturus, quibus conſtantiam ſuorum præceptorum tueatur eſu carnis abſtinendi! Tueatur hic ergo *Burgus* quæ volet, dummodò civiliter, & civilem in modum non incurſura in totum humanum genus, humanitatem ipſam, illius nulli mortalium vel libanda jura, nedumque tali fulmine, ut ut bruto, fas ſit converberari. Hoc gloriari liceat, nullum nobis tranſmitti anni ſpatium, quo non pientiſſima Magiſtratuum noſtrorum in illos (ſermo de piſcatoribus eſt mihi) ſe cura extendat, gentiſq; noſtræ humanitas provexa veriùs quam prolixa: nedum ut incommodis ullis atterantur. *Ait, Pontificem ad cuſtodiam maris triremes habere non ſine ingentibus ſumptibus.*

Quid

Quid hoc ad privatum ſummi Pontificis Dominium? Formet Syllogiſmum; Candidè acturis, ne ſtricta ſint & hîc quæ Logices ſunt, *Burgumque* male formati Syllogiſmi damnatura. Credamus de ſumptibus: ſarcientne piſcatorculi? refundentne? voletve Pontifex ærario ſacro cedere in augmentum quantumcumque ipſis vix animam præter miſeram ducentibus deruncinabitur? Certè & *Burgus* meliora. Quo jure etiam in Sereniſſimæ Venetorum Reip. nulli Pontificum ſubſtrata aut ſubſternenda jura incurrat, ipſi defendendum relinquo. Quo ne quid mihi indulgere videar, non dicam ſpectandum Romæ, non quid fiat, ſed fieri quid debeat. Allegat factum Pontificis *Burgus*, jus non allegat. Hoc ejus pace dictum eſto, in benevolentiam Pontificis, qui ſe omnium ex æquo Patrem ferat, ipſum non leviter peccare: vindicare eum cum dicit jus in mare Adriaticum, quia continenti ditionis Eccleſiaſticæ (ſic loqui amat, neque intercedo hoc ſibi datum volenti) correſpondet. At nec hoc Romanenſis velit Epiſcopus. cui indubiò id cum Imperatore Juſtino indubium perſtat, nimis indignum eſſe, quòd voce ſuâ quiſque dilucidè proteſtatus eſt, id in eundem caſum infirmare, proprioque teſtimonio reſiſtere. Alexandri III. Hiſtoriam Auguſtâ in baſilicâ viginti duabus expreſſam tabulis ſpectari notum. Decimæ

mæ & quartæ legitur ſubſcriptum, *Complectitur lætabundus Pontifex Venetum Ducem inclytam victoriam reportantem, tradit & annulum, quo ille & reliqui Principes in veri perpetuique imperii argumentum quotannis ipſum ſibi mare deſponderent.* Si quid juris habuit Pontifex, ei dicendus eſt deceſſiſſe; nunc ad ea quibus deceſſerit, regreſſum non habere. Nihil tale factitatum ab ipſorum ſucceſſoribus invenio. Irrito conatu nulloque ſucceſſu noſtris temporibus Venetorum Reip. iniquior Urbanus Octavus oblimare circa hæc voluit nonnulla. Sed nec ſibi conſtantiſſimus ſui juris & aſſerendi & retenendi Senatus, illo tempore defuit. Non eſt ut ſe non manifeſtarii erroris *Burgus* fateatur convictum. At ſim ego vel me judice putidus, quin & damnas, eò ſi me unquam demiſerim, ut aut ad factum Pontificis, aut ad allata ei ſtatuminando aut illuſtrando exempla, reſpondere digner vel verbulo. Quæ de Cæſare adfert, ſunt ejuſdem farinæ; eóque nec ullum reſponſum quæ mereantur. Quæ de mortalium cunctorum laudes ſuperegreſſo Auguſto Guſtavo, Suecorum, Gothorum, Vandalorum Rege, pacta cum Cæſare commemorat, ſunt ea εἰπροσδυόγυστα. Hoſtes erant, pugnabant ad lineam. Nullum hic de jure maritimi, inter infeſtiſſimos, Dominii diſcrimen, ſed unica cautio, ne quis mari valentior, undecumque etiam nocitura haberet ad

manum. Quid verò Batavis noſtris cum capitulationibus Cæſareis commune ? quid cum iis quæ depecti ſint Electores, quæ Cæſar ſpoponderit ! An credò, jam & erunt Cæſari, Electoribus, Imperio Romano Germanico, Batavi habendi pro Barbaris, ſi communibus Naturæ Gentiumq; fruentes juribus, ea pervadant maria, quæ terras iſti imperio ſubditas pulſent ? Egregia ſanè hæc ſint & hominis belli. Quid verò etiam hoc ad privatum maris Dominium, quod Cæſar hoc illudve ſciverit. Quantus ſit in Romano Germanico Cæſar, non quæro : quæ fecerit, quæ omninò non fecerit, nego ad rem pertinere. At enimvero preſſius ut urgere videatur, poſtquam etiam ipſos Cæſares agnoſcere dixit exterorum maritimum Dominium, (quod certè vix eſt in eum cadat, qui ſe Orbis dominum patitur ebuccinari) allegat exemplum Cæſaris Maximiliani ſancientis ne quis ab Imperio in Moſcoviam navigaret, aut Rigam niſi habitâ veniâ à Rege Polonorum. Sed dicat mihi, ſi tanti eſt, fueritne unquam maritimum Dominium Polonici Juris? quas quæſo maris oras, quibus imperitaret, Polonia tenebat ? Nec hic inſpiciendum factum quid fuerit ; ſed quâ de causâ. Coërcuit ſubditos ſuos Cæſar : prohibendos à Rigenſi & Moſcovicâ navigatione ſtipulatus eſt Polonus : cur ? quia bellum illi erat cum Moſcovitis. Si id cauſæ non fuiſſet,

fuiſſet, cur magis à Rigenſi ac Moſcoviticâ navigatione fuiſſent inhibiti, quàm ab aliarum ullâ ? Non ergo iſto in facto ſpectandum id ipſum quod facti fuit, ſed quid moribus ac gentium conſuetudine receptum ſit. Teſtantur omnis ævi annales, belli tempore, nec non & belli causâ, non modo hoſtibus liberam navigationem non permitti, ſed nec illis, quos metus ſit hoſtibus annonam, viros, arma, navalia ſuffecturos. Ac nec amplo opus habet reſponſo, quòd ait Ludovicum ſecundum appellaſſe Nicetam Patricium *ſervatorem Adriatici maris*. Servatorem cum dicit, nihil minùs dicit quam Dominum : vox *ſervatoris*, hoſtes, latrones, piratas ſupponit, contra quos niſi quid illud fuiſſet tutandum, ne quidem tali titulo potuiſſet inſigniri. At deſinit tandem in Venetis *Burgus*, quos ego cur *jactare Dominium ſuum magis quàm cæteros* dicat, rationem nullam video ; Habet hoc Sereniſſima Reſpub. iſta, flos omnium Rerump. (verbis abſit invidia) indelibatiſſimus, alienum nihil ut jactet : ſuum tueri juxta & ſueta, & contenta. Dolet mihi, *Burgum*, (cui ſanè & faveo & aſſurgo honoris ergo, doctiſſimo quippe, doctorum amanti, ſe quoque immortalitatis traducem reddere quàm fœliciter annitenti) paſſum ſibi hoc tam inconcinum verbum ἔρκος ὀδόντων effugere. Nedum ut illa omnis Idæa Prudentiæ, ipſam à quâ Prudentiam addiſcere poſſet

Prudentia, illud poſt Deum Prudentiæ ſuæ quæ omni jure deputat, quod quaſcumque omnis ævi veterum poſt ſe Reſpublicas reliquerit, ipſamque adeo Romanam, & quas tandem non? in id vocanda ſit imprudentiæ σφάλμα, quod nec in illis, quibus anima (quò ne computiſcant) pro ſale data eſt, jura præſumunt. Aliena jactantem etiam opprobrium comitatur. Suum ut quiſpiam, privatos ſi ſpectes, nulli bono: ſi poteſtatum, ſi nominum ſummorum & ſumma; nulli egregio publico. Fidenter aſſero, edico, defendo, Sereniſſimam Venetorum Remp. nihil hâc in theſi jactare: id verò quod ſuum eſt, ſuum omni jure defendere ac tutari. *Burgus* ipſe ſic aſſerendi mihi in autorem, cieatur, laudetur. Superfluis, & quæ ab ipſo, ut omnia, floridè enarrantur, omiſſis, quæ in argumentum trahit, hæc ſunt, quòd imponantur navigantibus vectigalia; quòd armatæ naves ingredi Hadriaticum prohibeantur; piratas exterminet; Sereniſſimus Dux in veri ac perpetui Dominii ſignum mare, projecto in id annulo velut pronubo, deſponſet. Omnia hæc quanta quanta ſunt, ipſi aſſerenti largimur, ut vera, etiam ut æterna ſint in ſpem ſuam æternitatis inſtitutæ Reip. Deum ſupplicter deveneramur, toti vovemus. Quid intercedit, ut in Urbem ſuam, ditionum ſuarum territoria importare quid cupientibus, vectigalia, telonia, portoria, indicant

dicant. Nulla non Rerumpublicarum id fecerit jure ſuo: facimus id Batavi, faciunt omnes: planè ut cum Poëtâ loquar, *petimuſque damuſque viciſſim.* Nulla ſuper hoc unquam lis intentata, totum ipſum, & pinguius loquendo, corpus ipſum ſi ſpectemus: ſi quæ vicinos aut gravent aut premant, ad amica & rationi conſentanea moderamenta venire non detrectantium, ad ſummum materia eſt.

Quod armatis navibus Hadriaticum ingredi non liceat, neque novi quid habet, neque quid ante inuſitati, nedum injuſti. Romanis rerum dominis citra turbatæ pacis, aut perduellionis crimen, armato nulli fas fuit ingredi Mediterraneum: & quidem jure. Huic qui contradiceret, nemo repertus eſt. At quid ni liceat? Unde hoc juris, ut terrâ per noſtra tranſire parantem, tranſitu tantiſper ut ut amiciſſimũ prohibeamus, quoad uſque ſuis ipſemet impenſis ſecuritati noſtræ caverit? Injuriam fieri talem ſecuritatem præſtare recuſanti, nemo gentium dixerit. Quæ mari diverſitas? quæ ratio diverſitatis? Quæ de piratis exterminatis allegat, habent & me adſtipulantem. Dicta non itero. Solennia maritimæ deſponſionis nec ego inficior. Matrimonium velit, largior, velit jura matrimonii, largior, velit. quod in matrimonio potiſſimum, eſſe individuum, largior. Superaddo ex ſacris: *Quod Deus conjunxit, homo ne*

ſeparet. Jamne magis maris eſt maritus Sereniſſimus Dux, quàm Patriæ Pater Cæſar? Dux ipſe? quilibet bonus Princeps? Quò uſque ſe Patria poteſtas extendat, quò uſque Maritalis, docent nos Deus, Natura, ſua rebus quibuſcumq; ordinis convenientia. Pugnantia in Deum, naturam, (ordini unde omnigeno ſuus ordo) nequicquam vereamur. Ordo, Juſtitia, Æquitas, baſes illius ſunt Reip. Omnia Ordine, Jure, eóq; æquo & bono agentes, alia quàm quæ omni jure ſibi arrogare poſſint, arrogare velle, ac vel jactabundos, nemo crediderit, qui non ordini, juſto, bono, æquo ex profeſſo adverſetur.

NOTÆ AD CAPUT VI.

Aliorum Principum & Populorum, cum Chriſtianorum, tum Infidelium, Maritimum Dominium.

GAlli, verba ſunt Burgi, *excuſſo Romanorum jugo, ubi maritimas oras poſſidere cœperunt, Admiralios (quo nomine appellari ſolent, qui veteribus* Archithalaſſi *vocabantur) ſeu Comites inſtituêre, inſtruxeruntque claſſes, quibus mari dominabantur. Legimus Carolum magnum Oceani Gallici littus perluſtraſſe, & in ipſo quod Normannicis piratis erat infeſtum, inſtituiſſe claſſem & diſtribuiſſe præſidia.* His addit alia, ad quæ, uno verbo, nos tale Dominium mari, quod neque iſti Romanorum, de quo ſupra, abſimile ſit, lubentes & lubenter concedere. Sed videndum quorſum tendat. Id qui volet; pervideat ſpectare ad exercitia Dominii in perſona Archithalaſſi, ſive Admiralii. Sic ergo ipſe. *Admiralius imperat mari, littoribus, portubus, habetque totius rei maritimæ diſceptationem, omniumque criminum agnitionem ſibi vindicat: nautas & mercatores audit litigantes, ad ipſumque pertinet creare ſuæ juriſdictionis Præfectos & Vicarios. Decima quoque prædæ & manubiarum ipſius eſt.* Sed neque nos horum quippiam Architalaſſo eamus ademptum, aut velimus. Nemo eſt, qui non agnoſcat illas prædas, ſive ab hoſtibus, ſive à piratis obvenerint, fructus eſſe iſtiuſmodi Dominii. Neque injuriâ, quatenus navigationem tutam reddunt, vectigalia exigunt. Sicut enim in Terrâ Principibus debetur Φόρος; quia in hoc incumbunt ut à violentiâ præſervemur; idem de navigantibus in mari dici debet. Sic loquitur & Gentium Apoſtolus *ad Rom. c.* 13. At nihilominus vidimus illos rerum dominos Romanos, quibus ab excisâ Cartagine (quod quidem nunc ſuccurrit) nulla ſuper imperio maritimo mota fuit controverſia, naturalem illam quam tuemur libertatem agnoviſſe ſemper, ſecundùm quam omnes liberrimam exercent navigationem, jure ſuo, non conceſſo, non pre-

precariò, & usu maris quem natura dat, fruuntur. Ait deinceps, *Invaluisse morem apud Gallos, ut ipsorum Reges maris portiones aliquibus concedere soleant, in quibus soli piscaturam exerceant.* Respondeo, me hic Juris-Consultum non agnoscere, neque obligatum respondere quoque ad ea quæ sint facti: negare me quoque, eum morem in Galliâ obtinere, nedum ut rectè invaluisse dicendum sit, eive juris ut accommodari aut possit aut debeat patrocinium: ut pote quem, si quid unquam invaluisset, ut publicè privatimque noxium, satius esset antiquari. Vera dixerit noster (quod tamen invitâ veritate) Gallos tangat: Regis factum subditos sibi non egressum: ac nec factum quid juris conferens: permissivum, & quidem permissivum negativè: id est, quo Rex talibus portiunculis assignatis clarum facit, non se juris quippiam illis conferre, sed nolle eis quibus id contulerit, ab aliis sibi pariter subditis, impedimenti quid adgeri. *Servinus*, si quis ullus inexhaustæ lectionis, quemq; ego non semel humanissimum, omniaque optima quæque & maxima mihi volentem, gratâ mente recordor, isto quem *Burgus* citat sermone, plurima quidem in hanc rem, sed non illa habet quæ hic citantur. Probationes ergo requisivisse sufficerit. Quod ait: *juberi exterorum naves, per mare Galliis conterminum transeuntes, summa vela navibus Regiis demittere in Maritimi Gallorum imperii re-*

cognitionem: leviculum est. Doceat id injungi in recognitionem Dominii. Nego id ego. Agnoscitur Regia Majestas. Unde suum id, exteris imperandi sibi non subditis, jus Gallo Regi? collatumne id divinitùs? conferri debere natura docuit? gentium consensus detulit? nihil agimùs. Mille ut ut constitutiones adferri possint, non effecerint, ut in sibi non subdita jus arrogantibus, impunè quoque non pareatur à non subditis. A Gallis ad Lusitanos transgressus, ait: *illos Reges se ferre Oceani Æthiopici, Arabici, ac Persici: quorum marium vetent navigationem sub pœnâ ultimi supplicii.* Verùm quo jure? An quidquid per vim fit, jure fieri dicemus? Quàm proclive erat Romanis omnes accolas Mediterranei navigatione prohibere: Plus apud illos æquitas valuit quàm ex jure naturæ didicerant, quare & in maximum ipsorum excrevit imperium, & salutare toti orbi judicatum est. Maritimæ hujus quam hic memorat noster, dominationis, alius certè exitus, quàm qui Romanorũ. Non aliud ipsi à naturali hac æquitate degenerantes profecerunt, quàm ut sibi, suo malum jumento, subditis suis perniciem, damna accersiverint. Factum si inspicimus, perinde egerint, ac si in mari Mediterraneo, cum primùm navigatio in usu esse cœperat, qui primus ex Asiâ Europam, aut Africam detexerat, eas sui juris esse dixisset, omnibus accessu ad

eas oras abactis ; sibi omnia compendia navigationum, commerciorum, soli habiturus. Nemo non dixerit tales alios non esse quàm hostes publicos generis humani : Attento præsertim quàm ingens naturæ bonum sit, hominum inter se, quæ maritimis navigationum discursibus potissimùm continetur, communicatio. Imo videtur id studiò natura egisse, quò ne quælibet ex æquo in quâlibet terrâ suppeterent, alii aliis ut indigerent. Itaque sic data terra est hominum generi, ut tota omnibus inserviret : dum usu navigandi omnium esse potest quod aliquorum est. Itaque si meritò damnari debuisset tale interdictum, quo innumeræ gentes defraudatæ essent tam immensâ commoditate, & beneficio naturæ, non est ut albus adjiciatur calculus tam in naturam ipsam iniquæ usurpationi, de quâ hic *Burgus*. Sed salva res est, ipse eam damnat. Ursit scilicet huc usque Dominium maris ei regioni accenseri debere, cui mare sit conterminum. Quomodò hanc suam thesin firmare possit exemplum Lusitanorum in Oceano mare Arabicum, Persicum, Æthiopicum jure Dominii sibi vendicantium, sodes, expediat. Faceret, si quid Lusitanicum sive Portugallicum affectaret. At si Æthiopicum est illud quod Africam alluit, si Arabicum, si Persicum, si tota Africa, à Lusitaniâ dirimantur, ut dirimuntur, non est ut se tueatur. At nec id Lusitanis in manu

manu. Donationes Paparum Eugenii IV. Nicolai V. & Sixti IV. non sunt quæ in titulum cedere possunt. Si jus spectemus, ne cassam valeant nucem. Eas jactitare, non est docere, jus suum esse legitimum, sed potius ostendere, Papas sua pomœria longè, ac quàm par est, extendisse longiùs ; quæ tamen mihi nemo persuaserit, justa ut sint, ea quæ per se injustissima sunt, efficere posse. Certè numquid Papa etiam Dominum Aëris quem facere possit ? si quidem aër æquè juris communis est, ac est mare. Nisi hæc sese ipsa refellerent, dicerem meliore hæc jure de aëre, quàm de mari dici posse, cum & potestatem in aëre dominantem ἄρχοντα τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος agnoscat Apostolus, quem se isthic loci designari nec Pontifex velit, nec ut designandum censeat ; rectè quis animum induxerit. Oportet in arctum redactas nostri herois copias, si potiora, quibus instructus in arenam descendat, non habet. Omisso, quod cum immortalis memoriæ Heroina Elisabetha intercessit dissidio, *Celebrior est*, inquit, *super eodem disceptatio illa, quæ inter Johannem Lusitaniæ, & Ferdinandum Catholicum Castellæ Regem, habita est.* Atque iterum, *inter Carolum V. Cæsarem, & inter Johanem Tertium Lusitaniæ Regem.* Confundit non confundenda. Controversia fuit de proprietate Provinciarum : de proprietate maris non fuit. Fatetur id *Burgus*, Pro-

vincias à Pontifice donatas agnoscit. Eundem modò & ab Alexandro VI. facta Indiarum partitio. Notandum circa hæc: Primò, sive jus solum in terras, sive etiam in navigationem maris quæ ad terras datas duceret, datum sit à Pontifice, eam donationem vim nullam habere, nisi coram iis, qui se Pontifici subditos fateantur. Quàm ineptum foret Regi Persarum, si quis diceret Persici maris Dominium à Pontifice Regi Lusitaniæ datum: aut coram Indiarum Regibus, si quis authoritatem Pontificiam iret allegatum. Dicamus quod res est. Nullus Princeps Catholicus Romanus, authoritati Pontificiæ decedet, si intelligat Dominium suum alteri datum à Pontifice. Quid quod ipsis Pontificibus ab iisdem illis Principibus & crebra, atq; adeò in dies bella viderimus moveri? Ipsa Roma à Borbonio sub Carolo V. occupata, vel sola hic ad fidem faciendam plus satis; ut ne de aliis Italis Principibus loquar. Aut protinus impia dicenda sunt arma, quæ quis in sui juriumque tutelam expedit, pia ex adverso illa invadentium in aliena; si & illa quæ nullius unquam subjecta fuerunt dominio, nec esse possunt, hæc arbitria necesse est ut subeant. Patiatur saltem, *Burgus*, his, neque cum authore maris liberi, ac nec mecum, cui nihil cum Romanâ Ecclesiâ commercii, quid profici posse. Quare eo misso videndum quantùm stringat, quæ passim

sim habet de continuâ, quæ donationem istam exceperit, possessione. Factum ipsum quod attinet, Indias, belli jure ne an injuriâ non attinet, possessas agnoscimus: mare possessum non agnoscimus. Si navigatio possessionem parit, eadem maria Gallis, Anglis, Batavis navigata sunt, hodieque navigantur. Horum ergo omnium Dominium erit Oceanus Indicus, sit quicumque demum, qui classibus hic prævaleat, qui maritimo apparatu cæteris plus polleat. Nihil hoc ad jus. Potentior est ut & minori vi superante decedant. Neque cum ad Calpen fortiter fecit *Heemskerkanus*, neque sub Angliæ adspectum nupera gesta sunt, aut numero aut viribus pares eramus, animo, causâ, Deo in nostras partes veniente, superiores. Non tamen hoc nos fecit dominos maris, non alios si quam habuissent possidendi causam, eâ deturbavit. Agnovimus semper & agnoscimus, nullum nobis in Oceanum esse jus Dominii, cujus communem esse proprietatem natura voluit. Ponamus tamen non minùs Oceani hunc vel illum Dominium esse, vel eò usque ac Mediterranei fuerunt Romani, acerrimi, si qui ulli, semper assertores suæ jurisdictionis. Erit, ut par ratio jura paria, parem usum secum ferat. Ille non alius fuit, quam qui esset secundùm libertatem naturalem. Si quâ hæc unquam violata: factum id in prædonibus & piratis. Ait noster:

Philippus IV. hodiernus Rex, Joannem Carolum Medicæum maris Mediterranei Generalissimum Ducem appellat: quamvis in his maribus imperium non habeat, nisi quatenus maritimas ejus regiones alluunt. Quod neque omninò verum est: nam tametsi in orâ Ligusticâ oppidum Finarium possideat, nullam tamen in mari Ligustico habet Jurisdictionem. Fatetur *Burgus*, Regem Hispaniæ se gerere pro Generali Domino maris Mediterranei. Ligusticum tamen Jurisdictionis Genuensis esse dicit. Venetorum Adriaticum, Galliarum, quod oram Gallicam alluit. Omnium, quod quibusque conterminum est. Consequens est, quod dicat, possessionem ex eo quod ibi classem quis habeat, non teneri, & quod eidem suæ classi præfectum imposuerit cum imperio conservandi & tutandi maris: nisi dixerit alibi quidem possessionem sic teneri, sed non in mari Ligustico. Solenne est ergo, ut quis sibi id quod non habet, maris imperium asscribat. Rursum quod dicit, non esse omninò verum, regionibus maritimis maritimam jurisdictionem competere, ab exemplo oppidi Finarii, quod Ligustico mari adjacet, & cum Regis Hispaniæ sit qui classibus prævalet, & Præfecto suo imperium maris delegavit, Jurisdictionem tamen, mari quatenus Finario conterminum est, nullam habet. Ita destruit quidquid hactenus adstruxerat: Vult à potentiâ maritimâ, vult à possessione oræ maritimæ

timæ rectè inferri possessionem maris. Absurdè. Non attineat, ut nos hæc reduarguamus, cum ipsius met adversarii confessio ea pro non veris habeat. Pergamus. *Petrus inquit Tarraconensis occupato Siciliæ Regno, se duorum Regnorum Patrem, marisque Dominum appellat.* Rogare liceat, quid indè. A quo exemplum mutuatur. Petrus ille Tarraconnensis prædo erat, ac neque vel latum palmum in continenti possidebat: Quid ergo? an censebat Regi Neapolitano in mare nullum dominii jus esse. At hostes erant invicem. Sit ita, modò terræ domino terram suam Petrus eripuerit. Sed quomodò Petrus in Dominum maris evadere potuit, cum non esset terræ? Utique non aliâ ratione piratas, Dominos maris dixerimus. Exemplum hoc ergo cerebrinum est. Colligamus quæ velit *Burgus.* Est id, ni fallor; Petrus affectavit dominium maris, ergo dicendum est illud esse. Ne multis. Dari aliquod posse, suo sed modo, perspicuè sat dictum est, neque an sit ullum, quæstionis est; sed quale. Postremum hoc probaturo prius illud anxiè probandum non erat tantâ exemplorum farragine. Alterum est, quòd ait: *Hispanos Duces, si quando ante incognitum aliquod mare invenirent in Americanis regionibus id occupasse nomine sui Regis: possessionem sic nactos, id quoq; ejus ditioni subjecisse.* Responsum jam nunc posse aliquod habere

Do-

Dominii maritimi jus, eum cui terræ, quas mare pulsat, sunt subditæ, cum possit & classibus tutari libertatem maris. Sed in tali occupatione Dominium ego nullum video, nullam quoque possessionem. Quarè nec ab exemplo horum Ducum, fuit exemplum ut peteretur. Fateor, gentium jure, quæ nullius in bonis sunt, cedere primùm occupanti: nec abit id gentium jus à jure naturali; sed enim est hæc quoque ratio juris naturæ, ut mare nullius in bonis sit: omnibus commune. Conceditur primùm occupanti, quidquid occupando teneri potest. Quid si insulam invenerint vacuam possessoribus? non aliter eam facient suam, nisi in possessione manserint, & tum quoque maris contermini domini erunt, sed eâ duntaxat solâ ratione, & extra illam nullâ, quâ nos dominium maris agnovimus. Atqui Hispani, si quam terram repererint hominibus refertam (ita noster) suam dicunt. Bellè medius fidius: si jam & homines sunt bona, si bona vacantia, si cessura occupanti primò. Si quæ *Columbus*, quæ *Vespuccius* recluserit omnia, quique recluſa incolunt mortales, in hunc censum venire debent, næ ut plura, eo obtento quod bona vacantia sint, sua sunt facturi, quàm unquam suum fecit totis Asiâ, Africa & Europa victor ille populus totum Orbem Terrarum, *Quà mare, quà tellus, quà sydus currit utrumque* habere dictus! Quæ exterminatæ leguntur ipsis gentes, quæ in servitutem redactæ; non porrigunt illæ titulum Juris. Sed de hoc, cum de bello victis, ac belli jure, erit agendum. Maneat neminem rectè dicere, quidquid quocumque modo suum occupandando fecerit, & sibi à naturâ deberi. Concedit occupantibus natura, quæ vacant. Eadem vetat occupare, quæ ab aliis detinentur. Pone affectum fuisse, audiant illud Tyndaridis: *Ad possessa venis præreptaque.* Jam possessa invasuris jus resistit, nisi quidem justa, cur non modò non resistat, sed & adsistat, caussâ mutet juris ipsius conditionem ac rerum. Quod ni esset, & latrones, & prædones, & quotquot sunt humani generis jurati & communes hostes, jure usi essent dicendi, idq; naturali; & naturale cum dixeris, etiam omni. Quod ut fiat, vetat illa societas, quæ est inter homines. Eadem prædones facit hostes communes, etsi non nos, sed alios spoliarint; violatores quippe omnis humani juris, & hoc nomine exterminandos; æquo adversum illos exterminari possint omnium jure, æquatâ omnibus licentiâ spoliandi ipsos, quò veris dominis sua restituantur. Ut verbo; quisquis toti humano generi communia intervertit, possessoribus depulsis, nequicquam aliquid aut juris aut facti præsidium sperat. Sed ad mare redeamus. Dico ego, qui primus mare aliquod invenit, ut ex eo dominum sese illius maris profiteatur,

nulla ratio admittit. Quid enim, si quis primus Insulam reperiat, quæ in dominio propriè dicto esse potest? suam saltim eam, nisi animo retinendi, non est facturus: egressus sicuti possidere desiit, sic dominium quoque nec retinet: cedet ea denuo cuilibet alteri, eam modò occupet. Perinde si quis aves cœperit, non ultra earum dominus erit, quàm tenuerit. Adeo verum illud piratæ Britanni; *Tuum dum tenes*. At si hæc vera sunt in iis quæ revera & haberi & teneri possunt, quid de omnibus cõmuni mari dicendum, quod nec haberi potest nec teneri? eóque nec esse in bonis? *Burgus* certè cum hactenus sustinuerit, possessionem maritimam terrestris sequelam esse, quomodò nobis persuadere nunc cupiat, maris Dominium esse posse, ubi terra non teneatur? neque hoc, donec quis classe insideat, mare navigatum esse? At certè, ut à Dominio, qui sic occupaverit, excidat, sufficerit excessisse. Potiori jure dici poterit, si naves perierint, possessionem captam, & Regis mare fore, cujus subditi perierint. Etsi non puto hoc dici in eum finem, ut ex hoc constet, Dominium maris hac viâ acquiri posse: sed tantùm adspiratum fuisse ad Dominium maris, eoque ipso quod adspiratum fuerit, dari aliquod tale Dominium. Sed enim malè ista affectantur & perperam: Talia non alio loco habenda, quàm quæ in totius humani generis socie-

societatem, tyrannidem affectent. Futile est dixisse, mare primus qui navigavit, & dominus ejus fuit. & qui eandem hanc orbitam cum *Burgo* terunt, tanti esse meritò negamus, ut æquitas ipsa naturalis, totius antiquitatis suffulta testimoniis, ipsorum aut avaritiæ, aut ambitioni decedere sit cogenda. Quod ait Burgus: *Hispanos Juris-Consultos in illam frequenter sententiam ire, Regem esse navigationis ac maris dominum.* Habeat (esto) suum pondus. Summa apud me semper fuit, eritque autoritas eorum, ut qui doctrinâ, gravitate, prudentiâ clari; Scholasticæ quoque Theologiæ periti, incorruptum ad ea quæ de jure commentati sunt adferentes judicium, testatum fecerint Scriptis de Jure commentariis, non tam hujus vel illius esse laudem, quòd inter præclaros Juris-Consultos emineat, quàm totius qui in illâ gente juri operam navarunt Ordinis. Sed & hîc asserit recta ratio suum sibi jus præripi. Essent inspiciendi. Scimus tractatu sequestræ pacis inter Regem Catholicum & hujus fœderati Belgii Proceres instituto, fuisse hæc sub incudem vocata; Allegatas Regiis à partibus rationes, cur statueret iis quæ in nostro orbe locum habere negemus, in Indico mari locum esse debere. Non pati scilicet Catholicum navigari ab exteris Indicum mare, quia neque exterorum cum Indis patiatur commercia: Jure id fieri, cum neque

portus omnes præsidiis custodire possit, aut extra portus, oras omnes ad quas navibus pateat appulsus: Indorum se Dominum ferenti non esse ut præscribatur, quâ lege, quibus institutis, quibus commerciis eos vivere atque agitare velit, quos sibi dicto audientes habet. Hæc contra qui insurgant, hostes ab se haberi, ut tales summoveri, nullo communis omnium juris cum dispendio id fieri, cum non agant hæc nisi in sua ac suos: etiam naturâ dictante æternam quò ad hostes fuerint, in hostes esse notionem, quibus tantùm nocere liceat, tantùm adimere quantùm possis polleasque. Nihil simile in Hispaniâ, in mari Hispanico, nihil in Mediterraneo. Jure gentium moribus receptis inter omnes, si cui cum alterâ gente bellum, amicos mediarum partium omnes procul habeat, commeatu, quos hostes scivit, ne juverit. Nulli tamen, liberrimam toto mari navigationem inhibeat ullo juris obtentu. Itaque si apud Juris-consultos jus Cæsareum valeat, si jus Gentium, & naturale, non video quomodò in tam vasto Oceano jus illud Principi asseri tribuive possit, cum non unius ditiones, sed totum terrarum orbem ambiat ac circumvolvatur, præsertim cum non interscindi modò cum illis gentibus, quas sibi subjectas probare possit, commercia contingat, sed cum innumeris aliis, quorum neque vel hucdum

dum nomina innotuerunt. Cui accedit & hoc, quòd neque portus novos, neque insulas novas, hactenus incognita non accessa invenire, detegere, in bonum orbis commune aperire, facultas sit libera, quam arctari nefas citra iniuriam ac læsionem universi. Non exibunt, quotquot orbis habet qui sunt Juris-Consultorum, hic navigationes vetari, non ratione modò terrarum, quas magnus Rex ille teneat, sed & earum quas non teneat; quasque etiamnum nescit sintne in rerum naturâ nec ne: & quas etiam redivivus aliquis Columbus, Americusve Vespucius, quando non invenit usquam, esse putet nusquam. Detur hoc autoritati præclarorum Hispaniæ Juris-Consultorum: posse aliquo saltem, quamvis & hoc ægrè, modo sustineri illa, quæ hostes, bellicum jus, rerum transitus, regnorum commoda promovenda, avertenda incommoda, (at nec aliunde, quàm ex illo capite) spectent, nemo si non inconsultus veriùs quàm Juris-Consultus haberi cupit, ex porrecta velit ad sibi ignorata, imperanti, interdicenti, incognita, nedum non subdita: eóque quò se nec extendant aut imperandi jura, aut naturalis personarum rerum actionum liberarum, jurium non admissorum, nec & non nisi liberâ totâ sponte admittendorum libertas sibi relicta si sit (ut relinqui debere omnis ratio flagitat) ut accedat ne quidem cogi possit. Vicissim

eiſſim autoritatibus cuneatim ſi *Burgus* certandum putet; fecerit id & me volente. Autoritates, ſententias, nulli mancipes, nulli vectigales, omnia ut dicam, liberas opponere his eſt mihi in proclivi, pro me habituro Deum, dictamen, & ordinem naturæ, gentium factis ipſis expreſſiſſimos aſſenſus: è ſacrariis penitiſſimis juris civilis petitarum rationum pondera, quóque nec in terris quid deſit, conſcientiam generis humani: quæ unicuique tribunal privatim, publicè in unum conſpirans, etiam graviſſimarum quæcúmque ſunt autoritatum, longè infra ſe habet. Ad ulteriora. *Quid de Anglorum maritimo imperio dicemus, qui ſe toto Oceano, quà Britanniam alluit, latè dominari profitentur? De hoc nuperrimè opus integrum Janus Seldenus.* poſt paulò. *Britanni conſtitutâ Republicâ, mari æquè ac terræ ſunt dominati.* Roganti quid dicendum ſit *Burgo*, in promptu eſt reſponſum. Dicat quod res eſt, Anglos affectare imperium in mare, quale omni antiquitati incognitum fuit: & quod neque juri neq; æquitati naturali ſit conſentaneum. & proinde non eſſe attendendum quid profiteantur Angli, ſed quo jure. At ait: *Seldenus nuperrimè integrum opus ſcripſit.* Non mirum: Virorum enim ille inter ſæculi noſtri primicerios numerandus, & meliore fortunâ dignus, fati ſui infœlicitate carceris non ſe digni colonus erat. Hunc, ut exiret, ſeque libertati amiſſæ redonandum ſperare daretur, animum ad ſcribendum appulit: &

Id ſibi negotii credidit ſolùm dari,
Domino ut placerent, quas feciſſet fabulas:

Neque talia agitantem ſucceſſus deſtituit. Nuperrimè ſcriptum quod dicat *Burgus*, quàm verè dicat, non inquiro: contentus ipſum nullius erroris inſimulare, cum non potuerit niſi de nuperrimâ uſurpatione nuperrimè ſcribi. Sed ad *Seldenum*. Ille corraſis de valle Schyticâ, de Thule, de Inſulâ Cœruli, quam obtorto collo in Britanniam attrahit inſomniis, in omnia antiquorum pro maris communione teſtimonia inſurgens: Naturæ jus ſatagens demonſtrare, communioni tali non adſiſtere: L. Rhodiæ de Jactu, ut ut non vera, ſuum tamen ad inſtitutum doctiſſimo ac ſubtiliſſimo derivans commento, tentatis cum eodem illo (dicerem, ſecum, niſi quid non niſi candidiſſimam mentem in tanto viro præſumerem) in unam conſonantiam ducere Juris-Conſultorum neotericorum necquicquam Sententiis, primum Septentrionalis maris Britannici dominos ſeſe geſſiſſe Britannos voluit; ſecreta maris Britannici, mare ipſum inter fercula triumphantium circumlatum, quàm magnificè gravitate eximiâ perſuaſum iturus; factoque identidem ad Romanos Britannici, (quod tamen nec fuere, quin nec haberi unquam voluere) maris dominos recurſu, *Claudios, Carauſios,*

rauſios, *Allectos*, nomina vel ſolo penè tremenda ſono, in proſcœnium adducit. Idem mox & *Saxonici* littoris Comites ſuos facere annititur, invitâ imperii notitiâ quidem, ſed quod ipſi ita ſederet ſic è re ſuâ fore, & tutum quoque, littus Saxonicum per Britanniam in partes quas malè tuetur, ſi quid pertraxerit, ſecum putanti. Mox & in floridos excurſus panegyriſtarum digreſſus ampullantes coacervat, verba cadentia tollit, quæ pelves & tintinnabula pulſata referant, quæ irato Chrono vagientem Jovem ſubducere poſſint, laudat applauſu, cætera damnat; prudentiſſimè id ipſum, me Hercules! quò nubem obtendat deploratiſſimæ Britanniæ ſorti ſub occaſum Imperii Romani. & cum decollatas videt ſibi Saxonum in Britanniam expeditiones, ne triſtioribus obrutum lectorem ſomnus invadat, narrata illum de, neſcio quo *Arthurio* Britanno, fabellâ, non graviter remoturus. Eo peracto, ſe ſibi aſſerit, in *Ælfredo* atque *Etgaro* ſuis, animoſior factus, jamque in ſua ſeſe arma colligens, monſtraturuſque quantus in clypeum aſſurgat, quo turbine torqueat haſtam. Quare & mox tributa navium & incrementum indicta, claſſiariis itidem commeatus indictos, *Danegeldum* & his gemina in argumentum obtenſi à ſe Dominii narrare adnititur, ſtrophis non unis rem involvens & doctis illis, & ſuum quoque ſub-

inde lectorem circumventurus, modò ne aut nimium ſibi caveat, aut ex iis quæ narrantur, inceſſus dubii vultuſque Ulyſſem agnoſcat. *Edgaro* inde *Canutum* ſubjungit, Regem maximi nominis, & adulantibus impervium; facit id verò quò argumento ſerviat: & quæ *Dano* Regi competant in Angliæ Regem liberali manu transfundit, ut ſic titulos ac poſſeſſionem maritimi Dominii valentius ſuffulciat. Mox facto deſcenſu ad *Normannorum* Regum turbulentiſſima tempora, *Danegeldum*, ut ut jam non ultra dependendum iis temporibus, ab inferis revocat, & circa vectigalia totus occupatur. Inde ad munus *Thalaſſarchæ* ſive *Admiralii* progreditur, extructurus inde jus de quo quærimus, & quæ formula Admiralatus fuerit repræſentans, ſemper in illis mare Britannicum vocari *mare noſtrum* affirmat: non revellendum videlicet indubitatæ poſſeſſionis argumentum: ſimulque ut *Normannorum*, *Vaſconum*, *Occitanorum* Jura maritima permiſceat Britannicis. Unde & major quandoque Britannico Admiralio honor deberi conſtare poſſit, quam Gallico debeatur. Ordine ex hinc ſuo jura innoxii tranſitus nulla eſſe, utique non talia, quibus pro jure ſuo dominus maris inhibere non poſſit, quibuſque ipſo facto, ſed jure quoque ſuo interceſſerint Britanniæ Reges, demonſtrare pertendit, eademque mox circa jura piſcationum conſimili

molitur progressu. Tandem sua tempora permetitur, quæque ab immortalis memoriæ Jacobo Rege designata sint atque asserta facto subinde ad anteriorum Parlamentorum tabularia recursu. Quæ omnia per Patrios Scriptores probare connititur, habenda pro iis quæ sint exploratissima, dubium quodcumque superantia, cum & multa minuta quæ percenset, atque ipsemet minoris notæ vocat testimonia, id ipsum pervincant: à quibus tamen seorsum habet aliarum gentium confessiones, ut & argumentum à submissione velorum, quod peti possit. Tandemque nihil intactum quò superet, denuo mare Septentrionale invadit, nec non cum Occiduo, Scoticum: controversiam de Mona revocat, quid juris Divæ Elizabethæ fuerit in mare Americanum, cumulat. Quid Scotiæ, quid Hiberniæ Regi in mare Monæ Insulæ circumfluum. Pacta inter Daniæ & Angliæ Reges, de quibusdam Insulis adeundis vel non adeundis expendit: totamque hanc in Batavos adornari Scriptorum seriem ubi exhibuit, jam pulchrè suam se spartam ornasse certus, manumque de tabula tollens, *Consedit senior, factoque ibi fine quievit.* Dictum jam supra, refutatum à me *Seldeni* librum: quod quàm candidè, quàm ingenuè fecerim, ipsum, si ita res ferat, vel *Seldenum* testem, judicem, assertorum quoque à me, si poterit, & quà

quà poterit, vindicem fero. Eo edicto, neque invidiam ullam, neque malevolas ullas lancianationes vereor; quas nec meruisse me, nec provocasse, testabuntur quæ scripsi; si quando Illustrissimis ac Præpotentibus D. D. Ordinibus Belgii Fœderati visum erit injungere, ut typis describantur. Opposui Caput Capiti, Argumentum Argumento, Anglica testimonia Anglicis revulsi testimoniis, pedem pedi conferens, in eodem quaquaversum vestigio steti, nihil ab ipso dictum omisi, aut inobservatum transmisi, quod me & calumniarum securum facit, & ab omni prævaricationis imputatione absolvit Feci id tantò exactiùs, quantò erat & doctior *Seldenus*, quem *Bibliothecam ambulantem* vocari posse, omnia quæ scripsit testantur, quantò ille hic omnia, destitutissimus à caussâ quam tuebatur, illam nunquam destituens curatius quoq; erat prosequutus. unico mentis meæ scopo, ut veritati, Patriæ, toti humanitati, militiam hanc militaturus, sic me tuerer, ut solent qui stant in suo. Quod præstitisse me confido, & si quis mea adversus responsum paret, erunt ad manum quæ reponam, cum bono Deo. Revertor ad *Burgum*. Is si me Britannis tale largiri velit Dominium, quale *Seldenus* habuisse contendit ante Romanorum dominationem, est ut primò sciat, quale habuerint. Optandum esset Britanni ut starent intra modestiam

& æquabilitatem Romanorum, seſe hic & toto imperio potiorum: hanc intra si quid stare libeat; & nos id eis largiemur: interim non est, ut patiamur nobis obtrudi, sub obreptitio nomine Imperii aut Dominii, aliud Dominium, quàm quale Jura Romanorum determinarunt. Quod ait noster, *Anglos quod*, (supple Dominium maris) *ut tueantur, constituto summo præfecto Classium & marium ad custodiam maris Anglicani, neminem transire permittere, nisi veniam petat. Piscatus quoque exteris legem præscribere, & à præternavigantibus tam Anglis quàm exteris tributum exigere, exterosque vela summa cogere ut Regiis navibus demittant.* Non faciunt hæc ad summam rei. Custodia maris piratas, & si bellū erit, hostes arcet; non verò navigantes solà commerciorum gratiâ. Quod transitus liberi non sint, nemo nos hactenus edocuit: quotus quisque ex innumeris hominum myriadibus, qui ne fando quidem illud auribus hauserit. Tale Dominium cum & nunc usurpare incipiant, erit spectandus eventus, qui Deo commissus esto, generis humani ut creatori, & conservatori, sic nec admissuro ut per tyrannica privatorum molimina toti universo abradendum prostituatur id, quod ex æquo nulli proprium voluit, cunctis ut pateret effecit. Certè neque calamus scriptorius, neque charta, subigendo mari instrumenta, confido, erunt idonea. Quæ dicit

dicit Burgus de præscriptis piscatui legibus circa littora sua: id & juris esto, quò ad subditos sibi, at nec ultra. Si tamē hæc in Batavos cum Anglis commissa ducuntur: age quid facilius, quam ut quos jungunt vicina, & quæ conciliandis animis sint multo plurima; inter se conveniant. *Extrema primo nemo tentavit loco.* Non digredior in locum communem. Omnia amoris, fidei, fraternitatis officia solvimus, persolvimus, Genti, nunc neque se, neque sua bona capienti, irreverenter quin imò successus illos ipsos habenti, quos sibi præservat dijudicandos omnium Rector Deus; qui & virgas furoris justissimi quibus converberet, habet, & converberando attritas in furnum projiciendi facultatem. At sunto & ista nostræ Patriæ Patribus relicta: nos pergamus. Quid sit littus constat, simulque quousque se illud exporrigat. Littus non tangimus, res agitur de profundo. Littora sua habeat sibi quisque; littoribus non peccaturas in totius universi jura leges dicat: profundo abstineat. In profundo halecariis navibus quas leges dederimus, exhibere in promptu est, etiam pronum; utiq; nolentibus invadere in aliena, & certis quæ nobis, saltem quà homines sumus, omni jure competunt tueri. Armavimus leges nostras justis præsidiis. Motis, ut ut minùs rectè, querelis, amicè, fideliter, cordatè factum à nostris plus satis. Nihil est quod vi factum

Angli dicant; nihil quod clanculum: navibus halecariis quippe quotannis (cœlo, ſolo, & ſalo teſtibus) plus bis millenis. Nedum ut precariò quippiam hic ſit factum. Quapropter ſi etiam ex præſcriptione legum poteſt adſtrui Dominium maris, dicendum id quod res eſt, Hollandi piſcatui leges præſcripſerunt ferè in conſpectu Angliæ ab eo tempore cujus initii memoria non extat. Argumento ſint quas dico, dixi, naves halecariæ, numerum duo millium exeuntes, quæque quotannis, nec in tranſcurſu, nec fortuitò, nec ventis & tempeſtatibus propulſæ, aut in pauculos dies, ſed ut minimùm totis quinque menſibus halecum capturæ incumbunt. Illis omninò nulla unquam lex data eſt niſi ex Hollandiâ: eſt etiam præſtinatus præfixus dies, intra quem retia jacere fas non eſſet, rurſum, quo, qualique ſale condiendi piſces: quæ denique illos inter ſe jura noſtri Proceres ſervare illos velint. Hic ſiquidem, ſi ad illam, quam Clariſſimi *Seldenus Burguſque* velint, citra examinis ullius caſtigandam improbitatem, trutinam nobis appenſam, libranda res ſit, & pronunciandum ſecundùm id quod volunt uterque, quodq; urgent; nempe poſſeſſionem Maritimi Dominii eſſe juris, quod poſſidens ad rem poſſeſſam obtinet κριτήριον; Hollandi dicendi ſunt domini maris Britannici. Si etiam ex cuſtodiâ maris, Dominium illius argui poteſt:

Hol-

Hollandi naves excubitorias quibus piſcaturam tueantur, præbent: non modò ad arcendos prædones & piratas, verùm etiam quoſlibet hoſtes. Nihil manifeſtius quàm ſtupendo illo bello, quod ipſo Iliaco geſſimus ſeptuplo diuturnius, & aſſertâ in æternùm libertate, cauſſæque Juſtitiâ piè, fortiter, fœliciter terminavimus, dictos noſtros Proceres hanc ipſam piſcaturam fuiſſe tutatos. Si ſufficienter partes Dominium maritimum conſtituentes enumeratæ ſunt ab ipſis, nihil regeſſerint, quin fateantur, tueri nos id ſummo jure, quod quidquid ad Maritimum Dominium aſſerendum, ſtabiliendum, proferri poteſt, id Hollandorum in mari Britannico Dominium confirmet ac ſtabiliat. Sed memini me quidquid Cl: *Seldenus* pro Britanniâ ſuâ profert, in ipſum retorſiſſe, utpote ad ipſummet ſuomet argumento confutandum validiſſima. Quàm valido ergo & hîc *Burgus* innitatur tibicini, vel ipſe judicaverit. Quæ de ſummiſſis velis, noſter, non repetam. Id moris eſt, infirmior claſſibus valentiori velorum ſummа demittit: valentiori ſibi, eadem vice verſâ ab illo cui tùm ſubmittit, ubi valentior ipſe fuerit, alter infirmior, ſubmittenda. Habet hoc majeſtas regnorũ populorumq; jure ſui, ut illi, etiam alieno in mari, ſemper aliquid ſit deferendum. At ex illo facto tali, nihil infertur ad aſſertionem Dominii Maritimi. Quod porrò noſter, *Quin*

& iis,

& iis, qui inter se sunt hostes, Anglis vero amici, maris spatia præstituerunt, intra quæ prælium inire prohibentur. Et hic suo ipse ludo lamberandus. Quod quisque juris in alterum statuerit, eodem ut ipse utatur, naturâ est æquum. Videmus Anglos portus Hollandiæ nostræ intrasse, vidimus ipsos navem à Galliarum Rege apud Hollandos ædificatam per vim occupasse, portu eduxisse, sibi habuisse: factum bonum id Anglis habitum fuisse. Quid ad hæc Angli? gesta sunt sole teste annis non nimis ab hinc multis, recenti memoriâ, non patrum sed & nostrâ, ac vel eorum, quos necdum in viros justa ætas efformavit. Pone verum esse, posse Principem sibi utrimque amicos, at invicem hostes, in mari, suis terris contermino, spatium præfinire, in quo experiantur de summâ rerum. Jamne id Angli fecerint citra pudorem & maculam, qui nostros sibi amicorum Fœderatorum portus (semet ipsis sic sciscentibus, amicorum Fœderatorum primos, aut inter primos habentibus) invaserunt, turbarunt, nos in id discrimen conjecerunt, ut eos sartos tectos tuendo læsæ secum amicitiæ; non tuendo cum gente Gallorum, pariter fœderatâ, simus rei? Absit ut iniquiorem me *Burgo* præbeam: sed, sodes, caveat ut dicat spatium illud de quo loquitur, *definiri præfinito.* Ipsâ illius verba ponam: *Quin & iis qui inter se hostes sunt, Anglis verò amici, maris spatia præstituerunt, intra quæ*

quæ prælium inire prohibentur. Errat, cum Dominio imputat, quod forsitan sic rebus ferentibus, aut regni vicini, aut securitati publicæ non sit denegandum, aut, quod ut ne malevolis interpretationibus obnoxium reddatur, quâcumque ex re sit. Istis etiam insuper habitis, quin dicat, causa non est *præstituta spatia*, qualia præstitui potuerint: puta intra portus, angustias, reductos sinus, lacinias tam compressas, ut non possint esse damni, periculi, immunes; quin nec direptionum, dum victis in tuta se recipientibus, victoribus à tergo inhærentibus, utrimque amici, in partem cladium, & quas secum districtus ensis, cujus semel infecti nunquam non est quam vitiosissima libido, calamitatum secum adferat, venturi timentur. Hæc si timentur, non refert an propter terram, an intra portus ista gerantur, an remotiori loco. Est suum suæ cuique securitati prospiciendi jus summum: cui tamen nihil cum Dominio in pariter amicos commune, nihil cum dominatu in mare omnibus exporrectum. Nos quoque Anglis his similia cum reposuimus, facti non pœnitet: nulla moratiorum toto orbe Christiano gentium peccasse dixit, cum, inter nos & Hispanos, bello durante, classis Hispana navium bellicarum supra sexaginta, fracta, confecta, capta, ad nihilum redacta fuit in inferioribus Angliæ (*Downes* vocant) ut ut cumque Hi-

ſpanicæ claſſi cuſtodiendæ excubarent Anglicæ naves. Ipſo, dum hæc ſcribimus, momento, Anglorum naves portu in *Longono* obſeſſas attinet, nihil peccaturus noſter Navarcha *Janus Galenus*, ſi vel ipſo in portu, diſjiciat, certè nullâ gentium iturâ in contrarium, aut, quod vix ad fidem, id ſi quid præſumpſerit, potioribus in adverſum rationibus prævaliturus. Non cadant talia in aciem novaculæ: non æſtimantur puncto aciculæ. Si cui hæc obveniunt, interdicat amicis communibus prœlio: ſi viribus ſuperior ſit, cohibeat hinc atque inde in extrema ruentes: hoc ſi non datur, quod mutare non poteſt, utcumque ferat. Quæ de *Eduardo Tertio* Burgus commemorat, quod nempè in Dominii maritimi teſtimonium, nummum juſſerit excudi, cui ipſe per mare vectus cum gladio, clypeo, ac regno diademate eſſet inſculptus; ſtrepera ſunt & phalerata: nihil urgent, nedum ut evincant. Etſi inſcriptio præferret Dominum Britannici maris Regem; nullius eſſet momenti: ne quidem & nos denegaverimus voluiſſe eo deſignatam maritimam, quâ polleat, dominationem Rex Edoardus, quid inferat, quod argumentum efformet? Salva interim res, quòd ubi hæc aliorum palato non ſapere perſpectum habet, receptui canat ſclopetariorum in morem, qui ab evibrato globo tergum obvertunt. *Non adducimus hæc* (inquit) *ut*

ipſorum jura diſcutiamus, ſed ut conſuetudinem eorum oſtendamus eſſe, maris exercere Dominium, quod vel ex ipſorum diſſenſione comprobatur. Conſuetudinis qualiſcumq; valeat obtentus, ſubruat obtentam poſſeſſionem turbatio, æquatum cuicumq; ut ut quietiſſimam, quæcumq; ſe ferat, poſſeſſioni obſtaculum. Nec hic quidem fortiter *Burgus* facit: aliquid diceret, ſi Batavus Angluſve utrimque ſibi vindicarent Dominium maris. Sed non arrogant Batavi, liberum volunt, Anglis æquè ac ſibi, ſecumque univerſis quotquot vivunt: ſi de jure diſceptandum eſſet, ſecundùm ipſa illa quæ malè nunc ab Anglis & eos ſequentibus producuntur principia, & jure, & facto, & more recepto, & poſſeſſione, & præſcriptione, modis denique omnibus & ſingulis, quos Anglis, nunc & *Burgo*, comminiſci ac ſomniare collibitum, ſuperiores eſſent, & vel nec unâ die nominandi. Epinicium ſibi accinens, tranſit *Burgus* ab Anglis ad *Danos*. Sunt hæc illius. *Ad Danos itaque Norvagoſque tranſeuntes, legimus, eos Hyperborei Oceani, ac maris Balthici olim Dominatum tenuiſſe, cum namque eſſent indigenæ, ſoli Norvegi in Iſlandiam, cæteraſque hyperboreas inſulas, piſcatus & navigationis ergo* (ſic vult) *navigabant, prohibitis exteris eò appellere, piſcari, ac negotiari.* Hic denuò candidè. Portus qui poſſident, adiri ſi nolint, claudant: appulſu prohibitos & ſtatione ſi quid velint; viderint quate-

nus ipsorum, quatenus commerciorum, quatenus sibi subditorum interfuerit, sic illos clausos, sic prohibitos: eadem exspectent. Qui possidet portus, facilè est, ut eorum appulsu prohibeat: appellendi & certos, facilè est ut sua inter septa prohibendi potens, quali etiam cumque negotiatione prohibeat. Hæc illi pro facultate facilitas, non quia maris dominus sit, sed quia terræ. Quod de piscatu addit, scimus ne hodie quidem piscatus caussâ, eò locorum naves ire; nedum ut olim factitatum aut occœptatum credamus: cum longinquæ piscationes non diu ante memoriam nostram occeptæ sint. Cæterum si quod mare piscatui commodum est, ut est, illud prope Norvegiam à piscatoribus Hollandis frequentatur, & à memoriâ supra meam frequentatum est, tanto numero, ut ex proventu illo per totam Europam suppeditaretur salsamentariis, quantum distrahere potuerunt, à nemine licentiam redimentes. Hæc, verissimum quod est, si in conspectu Norvegiæ; quomodò cuiquam deinde verosimile fiat, Norvegos prope Islandiam & nescio quas hyperboreas insulas piscatione quemquam prohibuisse. Quoad *Danos*, extollit eorum maritimam potentiam Burgus: *Oresundam aliquando, navibus stratam ab Haroldo Danorum Rege*, commemorat. Nihil hoc miri: non vellico scriptorum, qui hæc ad posteros transmiserunt, fidem: sed numquidne Ore-

Oresunda aut tunc in orbis terrarum Baltheum Oceanum excreverat, aut nunc Oceanus est. Ait Burgus: *exactum ad Sundæ fretum, telonium.* Nullius potentiam maritimam negamus, facti enim illa est, non juris. Quod dicit de Sundæ freto, agnoscimus, non tamen id quod inde colligit. Non negamus & hoc quod ait de tributo exacto, aut telonio. Nemo miretur hoc in angusto freto potuisse introduci, cum, ut ait *Burgus*, modò Anglicum fere milliare pateat, Heraldus illud velut alter Xerxes straverit navibus, ac velut per pontem exercitum transmiserit. Jurene an injuriâ hoc acceptum sit, non me intromitto. Si quis exigenti accesserit consensus, si quid & ille duiturnus sit, antiquus unius super sæculi decursum memoriam quantamcumque egressus; erit locus regulæ, eo cardine versari mortalium res, ut multa facta teneant, quæ fieri prohibita sint: ex illicitis licita fieri posse, accedente illorum consensu, qui de jure suo decesserint: quos si liqueat pœnitentiâ ductos, talibus obstrigilatos, aut coactos ad transmissi consensus constantiam; si coactioni adquieviisse, sufficientem circa istiusmodi coactionem consensus sui testationem edidisse; quod facti ab exordio fuerat, quin in non revellendum jus transierit, dubium esse non potest. Dixisse suffecerit, esse nobis quæstionem de Dominio maris, nequaquam verò de Dominio freti.

ti. Quid? quod neque necesse sit, ut omne fretum sit in alicujus Dominio, & telonii jus habeat annexum. Palam est fretum Herculeum, quod *Gibraltaris* appellatur, teneri à Potentissimo Hispaniarum Rege, & telonio obnoxium non esse. Non tamen illud minùs quàm Sundæ fretum frequentatur. Expediat sese hic noster: si fretum liberum esse potest; cur non & mare? At quo tendit? nempe libero mari telonia imponi posse, perinde ut freto? Fallitur certè, diversitas & status & juris obstant: aliter catuli, aliter sues: absit ut nos in talem errorem induere voluisse virum doctum, fallendi studio, credamus.

Quin imò si in freto multò expansiore, quale est Herculeum, telonium introduci non potuit, multò minùs in vasto immenso mari. Daniæ Regem aliud telonium ex mari non recipere, scimus: & si quis nescit, ex hoc discat, quòd omnibus huc transeundum sit, neque usquam minore operâ possint cogi. Quod autem solvitur pro transitu, non solvitur pro navigatione maris. Vocat nos *Burgus* ad ea quæ inter immortalis memoriæ Reges *Gustavum Adolphum* Suecorum, *Christiernum* Danorum, sunt pacta conventa: sic ait, *Suecus renuntiavit juri, superioritati & Dominio maris, aliisque Regalibus, quæ in Norvegiâ, Norlandiâ, & in districtu Wardhusensi ad Oceanum sibi vindicaverat.* Laudat, mihi semper laudandum

Seldenum.

Seldenum. Dicam paucis; Aliud res est, aliud rem habendi modus, inter vicinos præsertim, suum quod quisque sibi velint tutantes, juris sui retinendi, amittendi, dominos. Inter alios quod actum sit aliis quorum non interfit, præjudicium non aggerere docet nos juris regula: Quin & totus cum Rubricâ titulus. Nos hæc ut exeamus, necesse non est. Tùm piscatus, tùm navigatio Hollandis isto in districtu sunt liberrima, exercentur liberrimè. Quidquid in pactorum leges venit, est ut constrictum teneatur inter cancellos juris, æquitatis, libertatis naturalis; ad usus revocandum à natura ipsa concessos, quæ usum maris omnibus communem non modò reliquit, sed & vindicavit. Nunc à Danis ad *Suecos*. Ait noster; *Suecum longè latèque in mari Balthico dominari, quantùm ejus littora extenduntur. Neque cui, subjungit, in eo navigare licet, nisi habitâ à Rege veniâ, quæ magno à mercatoribus Lubecensibus aliisque comparatur.* Optem ut aliquod interdictum hic *Burgus* proferat, & Regium quidem, aut ejus verba, quibus clareat interesse jam navigandi piscandive inibi libertatem. Hic repetitum esto, non de freto loqui nos, sed de mari. Freta, mecum ipse agnoscit, quibus imponantur munimenta, ad tutandos fines, & loca contermina. Non est ut feramur in diversa, hæreamus medio mari. Cur nullum verò *Burgus* interdictum adfert Suecicum?

Cur

Cur id verò demum si quod ullum extet? Factum id omnino, quantùm adsequor, ut crederet incautior, quisquis esset, Lectorum, navigationem maris Balthici exerceri non posse, nisi veniâ Regis impetratâ. At ne nos tã putet obtusa pectora gestare, ut tam à vero omni aliena persuaderi nobis patiamur; Certè ne decumâ quidem parte Ligures tam frequentant Ligusticum, quàm Balthicum Hollandi. Illi certè hanc notitiam à Clarissimo *Burgo* petant, aut cui sua *Burgus* debet, *Jano Seldeno*. Sunt ea, qualia, quanta cumque sint, quæ secus se habere nec ignorent rei maritimæ apud nos tyrones. Si quod res est doceri patitur, mihi, cui in summâ & est in honorum parte, quod Regni Suecici Advocatum me feram, credat, licentia imibi navigandi neque petitur, neque conceditur. Sed evehendi inde grana, quin forte an & aliarum mercium licentia peti, imò emi debet. Cujus autem hæc imperii? nonne terrestris? Quippe ni? Argumento nobis esto *Livonia*, simulque exemplo. Ex illâ frumentum suum cujuscumq; generis evehere, nulli liberum est, etiam si vel indigenas inopes reddat ipsa copia, laborantes tantâ quippe abundantiâ, ut ipsa ægrorum cultura sit intermittenda. Quid hîc maritimi? quid ei affine? Presse acturi, contineamus nos inter mercatores Lubecenses. Notum omnibus istius Regni non ignaris, *Revaliam*, *Nervam*,

vam, ipsamque *Rigam*, esse *Lubecensium coloniam*. Habent illi, quod & constat, immensa latifundia, nec tam id per se juris habent, suove jure, ut fructus pro arbitrio percipere possint. Esto sit Provincia ab incolis destituta, non sit consumendo, quin & evehi vetetur? quin sit ad evehendum locus redemtioni? quin Regio juri locus? Sed largiùs hæc exsequuti sumus hæc *Libertatis Venetæ c.* 3. æque sacris *C. d. tract.* 3. illustravimus: actum non ago. Nemo vitio vertat hinc colligenti, terram Dominio subditam esse, mare non item: terram esse in bonis Regis, at non ideo & mare. In contrarium niti si cui lubido sit, idem prorsus fecerit, ac si dixerit, in Gallià vetitum est salem invehere, ergo mare est in patrimonio Regis Galliæ. Quod porrò ait: *Ad hoc* (supple maritimum imperium) *tutandum habet numerosam cum navium, tum etiam triremium* (*quarũ in eo mari haud exiguus esse usus dicitur*) *classem*. Id, ipsum imperitiæ *Burgum* nimis quàm arguit: prodit versantem in ignotis. Incognitus est in mari Balthico usus triremium: non quod mare sit triremium impatiens; sed quòd sit inidoneum remigiis ipsum cœlum. Quo ne semper eadem oberremus chordà, quæ de classibus, de rei maritimæ curà, de machinis bellicis, commeatu, milite, omni bellico apparatu refert, sint ea ad securitatem, intenta in hostes, directa in piratas: nihil ad argumentum.

tum. At enim subjungit. *Tantùm juris sibi vindicant Sueciæ Reges in mari Balthico, ut cum inter Ferdinandum Cæsarem, & Gustavum Sueciæ Regem, pax Gedani tractaretur, inter cætera hæc peteret, ut Cæsar arces ad mare Balthicum sitas demoliretur, & ipsius bellicæ naves ex mari recederent.* Quasi verò Rex hæc stipulando assereret jus suum: cum potiùs argumentum esset non asserendi, sed consequendi juris. Quæ deducebantur in pactum, ante id tempus deducta fuisse nemo sapiens dixerit: cui fini ergo? quia securitatis suæ interesse visum Tanto stipulanti. Nemo sapiens quoque dixerit, spectare hæc Dominium maris. In quas oras se extendant, aut non, vicini Reges populive, atque istiusmodi extensionibus legem defigere, terram tangit, non mare. Cum dirutâ Cartagine legem Romani tulêre, non exstruendi urbem novam, nisi quæ mari remotior esset, non asseruerunt sibi ullum Dominium maris; iis prudenter obvii ivere periculis, quæ denuò ut ne experirentur, erant per insignitissimas periclitationes ipsi edoctissimi. Quidquid sciverunt, sanciverunt, à dominis continentis, sive, ut loqui ferè amamus, terræ firmæ, scitum, sancitum fuit. An si naves bellicæ, vel & arces fuerint amotæ; ideone & navigatione, & piscatione erit interdictum? Deus potiora. Tale libenter agnovimus maris Dominium, quale non egressum sit non egre-

gredienda, naturæ dictamina, & pro illis, aut secundùm illa, usus omnibus promiscuos, communes. Tale etiam agnoscimus, semper agnituri, & ubivis locorum. Commissos inter se vidit hæc ætas Gustavum Augustum: Cæsarem: vidit libera semper undecumque mari commercia. Utrimque toto cum corpore certaretur, nihil illi derasum fuit libertati. Quidquid istius belli fuerit, sum satis callens. Quod dolet, unum nostrum *Burgum* non legi, quem historiam illius scripsisse, pauculas est horas quòd intellexi ex ore mei *Guilielmi Goesii*, cui summum nomen, candor, cum candore virtutes omnigenæ, circumdèdere: quemque mihi amicum observo. Expecto illam quantò ocius. Tantùm interim à *Burgi* mihi candore promitto, adseverare ut ausim, esse vel ipse referente, quæ nunc dico, quàm certissima; vel ea me adlaturum, ut sicubi contraria demonstraverim, suum veritati honorem constare sit concessurus. Tum verò præsertim maximè, cum ostendere non poterit, duraturæ cum immortalitate memoriæ Regem comminatum fuisse (at cur? quòd ei tantæ vires essent maritimæ) se in Hispaniam transmissurum. Quæ mari Regum ille summus disignavit, fuere non alia quam mari illo obsesso piratis, aut destinato: Dominii affectati nec tantillum. Fuerit ut ut ipse orbis armati terror, fuit & spes liberi. Ne-

mo ſublimius ipſum panegyrico extulit (modo id verbum admittant laudem omnem ſuperegreſſa) quam medulla Suadæ, ac nec Batava modo Siren, *Daniel Heinſius*, ipſe immortalitatis tradux, omniumque noſtrûm quotquot excipient decus ſæculorum: at nihil tale apud ipſum, nihil quod vel eminus alludere videri poſſit. Peccet in pietatem adſcripti cœlo Regis, mentemque illius cœlitibus additam quàm maximis injuriis petat, qui Oceano imperium, aſtris famam terminantem quàm fortiſſimè, nec non & fœliciſſimè, ſibi nobiſve eum effingere præſumat, qui animo vel ipſam naturam, vel innoxia naturalis juris commoda, per commercia, piſcaturam, diſcurſus nauticos, mari percipienda, nedum facto ullo unquam voluerit turbata, gentiumve ulli intercepta: tantum ab eſt, ut aut turbarit, aut interceperit. Sequimur à Suecis ad *Polonos* digredientem. *Etprinceps*, ait: *Boruſſiæ, & ipſius loco Rex Poloniæ, in eo, quod ditiones ſuas alluit, juriſdictionem ſe præſcripſiſſe profitetur.* Regero, non opus eſſe præſcriptione, cum naturâ & gentium jure dictante Dominium maris, quatenus id in ullo omnino Dominio eſſe poteſt, ejus ſit Principis, qui terræ eſt adjacentis Dominus, etiamſi non planè ſui juris ſit, ſed tributarius, aut imperium recognoſcens, ſalvâ Majeſtate regnantis. At Boruſſiæ Princeps ſuperiorem ex accolis Baltici maris

maris neminem agnoſcit: Itaque nihil cauſſæ eſt, quin tantundem in oris maritimis poſſit circa Boruſſiam, quantùm aliorum cuipiam. Quid ergo præſcriptionem hic Burgus? eſt in talibus, præſcriptio juris alieni occupatio. Næ bellus homo ſit, qui Poloniæ Regem dixerit adverſum Sueciæ Regem præſcripſiſſe! Quaſi verò non Rex ille limites protulerit in tantum, ut contra ſe regnumve ſuum paſſurus fuerit, neque vel tantillum poſſe præſcribi: Abſit ut præſcriptum ſit: Abſit à Polono, quicum ei duntaxat ſequeſtra pax, eaque annorum perpaucorum, intercedit. At exequamur porrò, quæ de maritimis Polonici regni juribus adtexuntur. Vult Burgus: *Reges Polonos ad Gedanenſe emporium exigere telonia*: hæc cum ab ipſo intenderentur, ait ultrò; *ortam ſeditionem, Gedanenſibus, Danis, Suecis, id minimè patientibus.* Manifeſtariò hic peccat; adferendo ſcilicet à ſe invicem diſcrepantia. Aliud eſt imperii, aliud maris dominum eſſe. Fruſtra Danos, Suecos, Gedanenſibus permiſcet. Intra Gedanenſes ſtandum fuerat, onera intendi non ferentes; Hic ſi in gyrum ſe redigi vidit Rex Polonus, quid hoc ad thema noſtrum? Ita eſt; Quæ executionem inhibuit, fuit urbs Gedanum (nobis *Dantzyck*) juri ſuo tutando non ſegniter incûbens. Inferat *Burgus.* Dico ego, ſi urbs illa erat in arbitrio Regis Poloni, eam tum fruſtra Sueci, Danis nec minùs quàm ipſi

Gedanenſes, contra Regem Polonum ſtetiſſent obnixi. Sed nec hîc rei veritas, pro ut ſe habuit, *Burgo* patrocinetur: Non tam intererat Suecorum aut Danorum non augeri telonia, quàm Hollandorum: cur de his tacet? cur Suecos nominat, cur Danos? Scilicet quò illos faciat maris dominos, ſimulque quò faciat exactionem teloniorum velut laciniam & appendicem Maritimi Dominii. Quis diffiteri auſit, poſſe, ſuo jure, quaſlibet poteſtates intercedere granorum evectioni, nedum ad hoſtes, aut qui tales futuri timeantur? Si quid interdicere poſſint, quid ni & permittere? quid ni & permittere ſub telonio graviore? At quid hæc Dominium, de quo controverſia? Si quis minùs commodè, minùs ex æquo bono, citra neceſſitatem, citra quàm mereatur exculta conſtanter amicitia, eſt amicis colloquiis, eſt amicorum interceſſionibus locus. Reliquum eſt, ut videamus quid ex illo inferat, quòd dicit: *Oratores Reipubl. Polonæ Henrico III. promiſiſſe, ſe claſſem neceſſariam & ſufficientem tuendis portubus, & Dominio maris propugnando inſtructuros.* Quantùm & quatenus Boruſſia mari alluitur, tantùm in ſuo mari poteſt, quantùm alia quævis in ſuo. Sed ſi jus hoc præſcriptum dicit noſter, ad quid claſſis, ad quid arma? ubi pacifica poſſeſſio eſt, currit præſcriptio; ſi quid bello eripitur, juſto pioque duello

duello repetundum, inane ſit & nomen præſcriptionis. Quæcumque maritima potentia datur, eſt ea facti. Potentiæ præſcribi, huc uſque inauditum: Retineantur ut ut armis, quæ ſunt armis quæſita. Ab illis quæ olim potuimus, ad præſentia argumentari, non ſit niſi ineptum, inepti non dicam. Horatio, Davus, herus; maturus ſenex, adhuc florente juventâ fervidus: Matrona potens, ſedula nutrix: Colchus, Aſſyrius: Thebis, Argis enutritus, viſum diſcerni debere. Non defugio autoritatem. Veram eorum quæ Poloni Legati promiſere rationem allaturi, ne quidem ullum Dominium maris ſomniabunt. Regem cum vellent ſibi tutandis parem, ea promiſerunt, quæ neque defore deberent: his inſtructum, fœliciter ipſum validéque ſuperaturum quæ premant; omnibus ſuperfuturum. Hæc ſumma eſto. Accedit magnum *Burgo* noſtro pondus authoritatis *Maximilianus* II. Sic ipſe. *Maximilianus* II. *Polonorum maritimam ditionem agnovit, cum ſolventes è Romani Imperii littoribus, rurſumque in Moſcoviam & Rigam dirigentes, veniam impetrare jubet à Rege Poloniæ.* Cur hoc ſecundò *Burgus* recitat? niſi quid fortè credit rem eſſe confectam. Ante reſpondi, nunc & addere lubet: Addo: ſuos iſtâ navigatione interdicere potuit; exteros non item. Quid Polono Regi juris in ſubditis imperio? Nihil utique. Erant externi Regi Polono.

Omnem

Omnem equidem terram ſceptris quæ libera noſtris
Diſſidet, externam reor: & ſic ſciſcere Divos.

Noſtra nobis ſtipulamur inutiliter. Si juris ſui erat, & retinendi & amittendi dominus Polonus Rex; Cui Bono hæc ſtipulatio? niſi quid Rex Polonus agnoſcit *jus ſuum*; admittit precarium, ſpoliat ſe ſui verique dominii jure, contentus habere non ſuum. Sed quid ad hæc *Burgo* Cæſar? ergone jam eoſdem inter cancellos conſcriptus aget? Formetur argumentum. Suis legem poſuit Polonus: poſuit ſuis Cæſar. Procedunt hæc rectè: ſtant ſuo talo: Exteris (rectum & hoc) ponere non potuit: Ergo nec Cæſar. *Dicat Burgus*, ille mundi dominus, orbis univerſi imperator,

Numquid apud Parthos Armenioſve latet?

Cauſſa non eſt cur in Cæſaris involemus jura, cur in ullius? uti vetus illud, *dat conjugibus jus quiſque ſuis, natiſque.* Si nautas nolit; eſto: ſi piſcatu prohibitos; eſto: Ut de re quiſque ſuâ ſtatuerit, ita jus eſto. Exterus ego, vel Cæſari dixero, *Liberas ædes habeo*, dixero vel *quoad te?* Adjiciuntur ut ut omnia ſummis poteſtatibus; nunquam tamen Deus, nunquam rerum natura, nunquam non niſi uni Deo ſubſternenda, præter naturæ legem, nullam aliam agnoſcentia, agnitura, aut ut agnoſcant cogenda, hîc intrent. Quod dicit Burgus, *Non omnino viribus carere Polonos, cum Suecam claſſem in mari Balthico de-*

devicerint. Placet. Veniunt maritimæ Polonorum vires in argumentum, quæ dant rem confectam. Non quæro quid factum ſit: damus excidere illum, viribus qui excidit. Quæ viribus quæruntur, iiſdem retinētur. Juxta & primò & poſtremò occupāti mare cedit, cujus nulla proprietas. Hic fallit, eſſe id validius quod antiquius: noviſſimum facti. Quod juris eſt, fert præcipuum, imò verò & omne punctū. Simul atq; aliqua mari appellari cœpta eſt poteſtas, id uſu obtinuit. Diſplicet, quod ait *Coſacchos Polonorum ſubditos, in Euxino & Turcis & Tartaris haud contemnenda damna inferre, ad ipſius Conſtantinopolis ſuburbia navibus quandoque excurrentes.* Adſcribit enim Polonis maris Euxini dominium ex eo, quòd eorum ſubditi latrocinentur, & piraticam excredant. Et veriſſimè ſic ſe res habet. Qui viribus prævalet, quo modo dixi eſt mari dominus. Eóque & ineptus ſit, qui piratas mari dominari neget, quà viribus præpollent. Vix eſt ut hæc exeantur. Nihil antiquius, nihil naturæ magis conſentaneum, quàm ut inferioribus dominentur, quæ viribus excedunt. Quantulum abeſt ut non habeatur & hoc æquius, quod validius. Non ſunt alia dominiorum, imperiorum primordia. De Germanis teſtatur *Tacitus*, id eſt, in ætate mundi adultâ, *Pro Regio habitum alieno frui; rapto victitatum fuiſſe.* Neque hodie in Americano orbe alio jure utuntur: imò &

apud Tartaros : omnesque qui incertis sedibus vagantur. Talis genii est quoque maris Dominium, utpote expositissimum quorumlibet possessioni. Hìc ut quisque viribus, est & jure potior. Non hæc à me dicuntur album adjectante calculum. Neque enim quis ad libertatem (me qualem profiteor) natus, violentum non aversetur Dominium, nedum ut æquo animo Dominatum ferat. Sed ita mores sunt, ita sæculum. Dominium non datur, in Dominii nomen licentia sese introtrudit, licentia verò qualis? quæ in vim scilicet exeat, (ipsâ in jus transmittendâ) & violentiam. Si quid & vires desint, valitura ad breves impulsus, & vel ex insidiis, & inexpectato quantumcumque maxima imperia, etiam convellendi certa. Neque & sit nobis hoc ipso *Burgi* testimonio, aliud luculentius. Describens Maritimum Dominium Polonorum, dicit, ipsos ad ipsam quoqne Constantinopolim exercere piraticam. Egregium verò illud, & in quo se jactet! Nihil magis libertati adversans, quàm prædonum, piratarum direptiones, agnoscunt mecum omnes, quotquot unquam sese aut sua mari exposuerunt. Tolle piratas, dederis libertatem, commerciis spiritum vitalem, sæculo pacem, orbi quietem. Quos in fastigia evehi posse, Polonos *Burgus* demonstravit, nunc quoque regnare vult, sed graviore sub regno. *Nec tamen*, inquit, *Turcarum Im-*

Imperator ipsis maris cedit Dominium, sed Dominum maris tam Albi quàm Nigri se inscribit. Ingenuum hìc *Burgum* compello: An non hoc meliore jure, quàm quo Cosacchi? Sunt hæc ambo maria, quàm plurimis insulis refertissima: neque mirum, neque novum est, quòd & orarum maritimarum, & insularum sese Dominum profiteatur, ferat. Est & in adversantibus, & quos jure merito detesteris, clara virtus; est laudanda. Romanos rerum dominos, agentes secundùm naturam, secundùm jura naturæ, qui laudavimus, quin laudemus & Turcas. Quis ciebitur in testem, qui unquam Turcam vel animo præsumpsisse dicat, quod justum *Burgus* tuetur? Sed mihi tempero, Christiano Christianus. Quoniam tamen exemplum placuit ipsi, quoniam & *in Africano mari, quod Tartarum regnum spectat, veniam piscandi, & indagandi corallia, Gallis dedisse*, commemorat; dicam primò, nunquam id in ullius Maritimi Dominii assertionem factum fuisse: dicam fuisse, ut occurreretur damno per mercium exportationem manifestario. At enim & superadjungam, esse Lectori à quo sibi caveat; nimirum, ne ut ipsius credulitati imponat vox *piscandi*. Nemo hìc Gallis pisces vel nominet. Nemo unquam (quidem huc usque quod sciam) Gallorum halecariæ piscaturæ incubuit, ut ut (quæ Deo laus) non inquæstuosæ. Quis credat emetiri velle tot die-

rum ſpatia, & nequicquam, & nulli bono futura? Sed & hæc preſſiùs. Concedit Turca Gallis licentiam indagandi corallia. Formet argumentum: Sequeturne, mare eſſe illius in bonis? Ipſe id ſtatueret, quidquid hoc eſt beneficii, neutiquam conferret in extraneos. Beneficii loco id dum vult haberi, nihil utique aliud præſtat, quàm quod impedimenti, forſitan à ſibi ſubditis inferendi, ſubmoveat facultatem: ultrò etiam dans quæ eſſet amiſſurus, quippe cum nullius ſint in bonis, quæ occupanti ceſſura, videri poſſint intrare in beneficium. Sed & altiùs effert noſter Othomannicam ditionem. *Extructis*, ait, *in ipſis Helleſponti anguſtioribus faucibus, munitioribus arcibus in Pontum veniâ non petitâ, navigantibus aditum præcludit.* Nemo *Burgum* tam ignarum exiſtimet, ut ignorarit, quòd ubi navigatu præcludi potuit, ibidem & fuerit præcluſa: irritante ſcilicet commodo, & apertâ redimendi facultate: nemo per ſuas ædes, ultrò tranſitum largitur: nemo non ſibi velit non eſſe jus in ſuo; vel tùm major, atque eo ipſo quod concedit, non conceſſurus, niſi id ipſum quod concedit, reputandum veniat pro beneficio. Concurrunt in iis quæ ſunt his ſimilia, facultas, beneficium, jus. Quod de Turcis ait *Burgus* circa fauces Helleſponti, idem & Romanis factitatum. Quantulum iſtæ fauces à flumine diſtent? Quid fieri ſoleat ſi

ſi quid reſpicimus, ut quiſque Regulus habet ad aliquod in ripam dominium, arcet tranſitu, hoc agere nitentem, ſi quid potentior intercedat, decedit, vel cogendus; nedum ut coactus. Nihil æquè tralatitium, quàm vertere unumquemque in commodum ſuum, quidquid in exteros, poteſt. Quod ſi, ut flumina, ita & maria præcludi poſſent, haud dubiè idem uſquequâque in uſu eſſet, non apud eos tantùm, qui dominium ſuum aliquo titulo inſignire poſſent, ſed apud omnes, quibus vires ſuæ placerent, hactenus ut ſperare poſſent de ſucceſſu. Voces, *Juris, æquitatis, præſcriptionis,* locum non habent erga exteros: non, magis quàm erga hoſtes. Quot ergo Dominium maris non agnoſcimus; non minùs fatemur, quotquot poſſunt, & quatenus poſſunt, dominium maris occupare. Ejus tamen occupatio vera nulla eſt. Nec alia quàm ſi prædones vias inſideant, quas præſidiis ſuis firmare non poſſint. *Agnoſcitur,* (ſic Burgus) *quoque Maris Dominium ab Æthiopibus: Quorum Imperatorem David Emanuelem Luſitaniæ Regem Maris Rubri Imperatorem appellat. Sed & in hoc mari, ut etiam in Indico, & Perſico, Mauri quoque Arabeſque ſibi Dominium vindicant.* Repono: Quos quia hîc Æthiops mare Rubrum ad ſe pertinere non credebat, mirum nulli videri debeat, quod ad Regem Luſitaniæ ſcribens, titulos ei deferat, quibus ſciret eum honorari velle. Cum verò

pro dominis maris sese gerant Reges Persarum, Mauri, Arabes, Lusitani, quisque in solidum nullâ communicatione agnitâ: quis sit qui nec videat, id quod *Burgo* effingere Dominium lubet, itidem haberi limites imaginarios, utique non minùs quàm ipsum mare, quod in tot dominos distringi. tot dominiis substerni, ipsi collubuit? nec sanè est ut excedant humani cerebri spatia quantumcumque in immensum protensi. *Sinarum quoque Rex* (ut ipse) *ad tuendum suorum marium dominium copiosam habet classem, quâ piratas persequitur, & navigationem tutam præstat.* Justè Rex ille, atque omnino Regaliter. Insulsè verò *Burgus*, cui arridet Dominium maris adversùm piratas esse tuendum. Qui piratæ eâdem notione Dominium maris obtinere possint, quâ Rex Sinarum. Est aliquod Dominium maris Regium, cujus piratæ capaces non sunt: puta tutandi maris, ut navigationi pervium sit. Hoc Dominium à latrunculis non occupatur, qui hoc studeant, ne quod tale Dominium maris sit: neque nobis de nomine controversia est: rem urgemus: Navigationem tutam præstare, id Regii Dominii argumentum est. Hoc qui præstat, terrestre suum Dominium inlustrat & tuetur. Verè enim mare ab opibus vacuum opes subministrat: dum terrarum inter sese communionem introducit; & quidquid terra producit fructuum, idem mare quoque ad omnes dimanare facit.

cit. Quod mari tribuimus, idem & aëri tribuimus. Ventus enim navigantes provehit, & propriè in navigatione agens caussa est. Mare vero patiens. De Euro, Lyricus, *Per Siculas equitavit undas.* Et tamen fatui esset dicere, ventos in hominis dominio esse posse: Cum tamen per aërem respiremus, & per aërem navigemus, neque quoquam per mare pervenire possimus, nisi aëre deducente, & ferente. Dicat quis, non intercedo, dictum quippe est, & nec insolens dici, si aër præcludi posset, non defuturos, qui præcluderent, sui juris facerent, neminem gratis passurum, illius haustu libero frui. Sed quid in eo agnoscas, præter avaritiam mortalium? præter libidinem dominandi? Earum neutram ab æquitate naturali non regi, uni necessitati quam exire non valeat, submittentem se, vel ingratis? At justo qui favet, dicet mecum, æquitati consentaneum esse, quà fieri potest, libertatem communem tueri. Quod si usquequaque non possumus, illud tamen intermittendum non est, quin quod æquum sit, quid juri naturali conveniens, quid ad communem generis humani utilitatem maximè conducens ostendatur, veritas asseratur, neq; committatur, ut qui communis boni hostes sunt, id jure facere videantur. Sed jam & nobis jam nostri lares tutandi sunt. *Ipsi*, inquit, *Holiandi aliorum naves arcent à littoribus & portubus hostium*

ſtium ſuorum, & ſuæ faciunt poteſtatis, ſi quid præter leges intuliſſe deprehendantur. Illud quæro: an facere hoc non poſſint, quin maris dominium ſui juris fecerint? In mari Hiſpanico, imò propè portus Hiſpaniæ hoc jugiter ab ipſis factitatum: An ideò maris Hiſpani Dominium penes ipſos fuit? Negamus neminem poſſe exterorum naves impedire, ne commeatus bellicos hoſtibus ſubminiſtrent, niſi in mari, cujus Dominium habent. Quis negare audeat, juſtam belli cauſſam dari ab illâ gente, quæ alterutri parti, ad bellum neceſſaria ſubminiſtret? & dubitabimus num impedire liceat? *Hugoni Grotio*, ait, *crimini datum, quòd de communione maris verba fecerit.* Quis dedit crimini? delegatine Judices? Excuſſi, nec ſemel, latam in ipſum ſententiam. Nihil in eâ tale. Scio Britannum Legatum Carletonum, his ſimilia quandoque blateraſſe: at non niſi palliandæ injuſtæ Britannorum querelæ, in id adnixæ, ut ne Britannicæ uſurpationes id viderentur quod eſſent, id eſt, iniquæ, omni juris præſidio deſtitutæ, & vel per calumnias, & in jam miſerum improbas inſultationes, ut ut nec ad rem vel hilum facturas, aut ullum momentum allaturas, incruſtandæ. Quærentibus utique id Britannis obvium fuit, ea ſequiùs interpretari: quæ vel poſſe viderentur eſſe interpretationis dubiæ: quale eſt Dominium maris: Id eâ notione ſumptum, quâ

quâ Romani tenuere Dominium, ſed interim liberrimi, non obſtante, non libante maris libertatem naturalem Dominio; eâdem & Hollandi ratione ſibi arrogant maris Dominium. At *Grotius* negavit aliquod eſſe maris Dominium propriè dictum: ſicut res fiſcales in Dominio fiſci eſſe dicuntur. Ipſe quidem rectè & verè, & liceat per cordatum quemque, ut quos hoſtes, dum vixit, Britannos hæc propter eſt expertus, inſaniam hanc inſaniant ſine rivali. Sed ne nos morentur privata. Subdit, *In induciis anni 1609. Regem plurium marium Dominum agnoſcunt: & promittunt ſe iis minimè navigaturum: recipiunt pariter fore, ut minimè naves appellant, aut commorentur, in maribus dicti Regis cum navibus bellicis, atque inſuper (quo Dominium Regis palàm profitentur) eandem ab Hiſpano & Archiducibus exigunt ſponſionem: ne videlicet ad eorum portus aut littora naves appellāt, vel cum armatis navigiis per ipſorum maria vagentur*: Si cui dubium videtur de quibus maribus hic ſtipulatum ſit, ex uſu inſecuto id probè diſcat. Totum mare Mediterraneum, omneſq; portus Regios frequentarunt, ut & omnes portus Hiſpaniæ in Oceano. Solummodò in Indiâ Occidentali navigatione abſtinuêrunt. Quòd verò navibus bellicis portus intrandi licentia non eſſet, juſtum erat: neque huc pertinet: Et quia idem reciprocâ ſtipulatione cautum erat, ſic *Burgus* ſe rem habere putat; nempe Hol-

landos palàm Regis Dominium profeſſos: Abſit dicto livor, palàm ſe ineptire profitetur.

NOTÆ AD CAPUT VII.

Maris Dominium, ejuſque diviſionem, Jure Pontificio, Patrum Theologorum Moralium, ac Juris-Conſultorum authoritatibus eſſe approbata.

AGgrediamur. *Ex aleciis, quæ diebus feriatis capiuntur, hoc Jure decima Eccleſiæ, cujus Juriſdictioni ſubeſt mare, in quo capiuntur, eſt perſolvenda.* Nuſquam Eccleſia in mari Juriſdictionem habuit, aut habere contendit, quàm in territorio Pontificis, tàm in Supero, quàm in Infero mari. De hoc ergo locus allegatus intelligi debet. Poſſe autem quemcumque lubet, Principem, ſubditis ſuis legem dicere, ut ex capturâ piſcium decimæ ei debeantur, agnoſcimus: & vel ex quocumq; mari: Si enim jus habet prohibendi, ne quid in dominium ſuum invehatur, aut importetur, niſi perſoluto telonio, quale ſibi fuerit, cur non ex aleciis quoque decimas ſibi capiat? Quòd ſi etiam extraneis, ſi merces ſuas in territorium Pontificis non inferunt, hæc lex poſita eſt, mirabimur ſanè ſub annulo Piſcatoris tale dominium prodire potuiſſe. Neque credi debet, piſcatorum

torum Patronum, voluiſſe piſcatores à ſe ablegatos, aut ex quo nulla lucri ſpes, ſibi invidiam creare. Nemo gratuitò malus eſt; Quis enim longinquum mare, non ferax piſcium, piſcandi gratiâ frequentabit, decimas ſoluturus, cum deductis impenſis, ne quidem decimæ ſupereſſe poſſint? Cum itaque hæc ſanè intelligi poſſint, cur hæc detorquentur ad invidiam Pontificis, qui hactenus unus repertus eſſet, qui decimas piſcationi, (non quidem omnimodæ, ſed halecum) impoſuiſſet? *Vbi interpretes territorium in mari non ſecus, quam in terrâ profitentur.* Sive territorium, ſive diſtrictus, ſive jurisdictio appelletur, impropria locutio erit: Neque diffitemur, ſic appellari poſſe. Illuſtraturus ſua: *Si*, inquit, *in mari Pontifex moriatur, eſſe ſucceſſorem eligendum in eâ civitate, cujus diſtrictus eſt mare.* Hoc ſæpe contigiſſet, niſi navicula Divi Petri ſubſtracta fuiſſet in terram firmam, & ex quâ piſcatio terrâ peragitur. Sed quale tandem hoc, ſi Pontifex in mari Liguſtico moriatur? Pontifex creari debet in urbe Genuenſi: ergo Dominium habent in mari Liguſtico Genuenſes. Bellè hoc argumentum. Tolerabilius eſſet, ſi de ſepulturâ Pontificis hoc contenderent. Demus tamen eo loci creandum novum Pontificem, ubi anterior deceſſerit, non hoc ex privilegio loci, ſed ex dignitate Pontificiâ fluit, cujus electio prorogari non debet. Quæ ſub-

jungit de excommunicatione piratarum, semel dicta, semel refutata sunt. Allegat *Divum Ambrosium*, sic dicentem: *Pro singulari lubidine inciditur terra, mare infunditur, ut insulas faciant, ut possideant freta, spatia maris sibi vendicant jure mancipii, piscumque jura, sicut vernaculorum conditione servitii sibi subjecta commemorant: iste*, inquit, *sinus maris, meus: iste alterius.* Atque alibi. *Mare hominibus datum est ad escam, non ad periculum, ideoque piscium est ambulare per mare, non hominum.* Dico ego: Si *D. Ambrosii* autoritas aliquo esset apud *Burgum* loco, non eâ abuteretur contra mentem ejus. Dicit hæc *Ambrosius*, ut damnet libidinem eorum, qui maris Dominium sibi vindicant, & vèlit nolit, cogitur hîc *Burgus*, testimonium præbere, maris Dominium justum esse posse: si enim damnat; ergo factitatum est. Respondemus ex *Ambrosio*, non quia hîc sinum suum esse dicit, ideo verum aut verè dicit, estve ipsius. Naturæ injuriam faciunt, qui spatia maris jure mancipii sibi vindicant: Hæc est sanè mens *Ambrosii*: Si enim intellexisset hoc fieri posse, neque (ut *Burgus* contendit) alio modo, quam terræ possessio esse potest. Cur hæc exagitat *Ambrosius*? an quis unquam corripuit dicentem, iste ager meus, iste alterius? sed freta possideri, maria jure mancipii teneri, dicere, iste sinus meus est; id reprehendit *Ambrosius*; utpotè rē insolitam: ab æquitate alienam. Quod si

si promiscuè factū fuisset, se ipsum ludibrio exposuisset: non aliòs. Taxat autem illos, qui prope Neapolim, molibus jactis, maris aliquod spatium occuparunt: rursum terrâ incisâ mare admiserunt, ut in Lacu Lucrino. Quid diceret idem, si integrum mare Ligusticū proprii juris factum audivisset? Nam quod per rerum naturam fieri potest, ut maris aliquod spatium occupetur, & privati juris fiat, scimus, & ejus ei exempla à Patribus peti non est necesse, cum ex ipso Oceano ingentia spatia ablata, aggeribus clausa, & in formam continentis redacta sint. Hoc quatenus fieri potest, à Principe peti & obtineri debet, cujus patrimonio accenseri debet, quidquid mutatà formâ rei, solo accrescit. Atqui nobis sermo est non de sinu aliquo (quem privati juris esse posse agnovimus) non de molibus in mare projectis, non de aliquo freto, non de mari, quod in terræ formam redigì potest, sed de mari navigabili, & quam diu tale fuerit. *Philo quoque Judæus, Sacræ Paginæ interpres nobilissimus, gloriari non debere Principes*, inquit, *ob devictas multas gentes, aut quod omnia flumina & maria numero & magnitudine diffusissima in suam potestatem redegerint.* Dicam quod res est: Ipso Philonis Judæi interpretis S. Scripturæ diligentissimi nomine commemorato: affatim nobis est solutionis. De maribus intelligit, qui propriè lacus dicuntur, ut

mare falſum, mare Galileæ, mare Genazereth. Nemo de immenſo loquutum, dum interpretatur, præſumat. Ponatur, præſumpſiſſe: concedimus & nos, iſtiuſmodi ut ut immenſiſſimum, poſſe redigi in poteſtatem. Unica de illius proprietate controverſia eſt. Audiamus nunc ſibi accinentem Epinicium. *Quid multa? Morales Theologi, qui legem normamque vivendi juxta Dei atque Eccleſiæ precepta tradiderunt, maria habere proprios dominos, à quibus defendantur, cuſtodianturque, confirmant.* Bonacinam allegat. Theologos non attingo, quos *Burgus* vocat Morales; ſi cui ulli, ſummo mihi ſunt in pretio, non quòd Theologos, ubi Moralia penſitant, ſequar, aut ſequendos ducam; (ſcinduntur enim paſſim, & eunt in contraria:) ſed quia ſumma præbent adminicula mentibus in recta, in non animadverſa, èoque neglecta ac præterita conniſuris. Quid de ipſorum principiis ac fundamentis ſit, vita modo ſuppetat, bonuſque vitam, ſuo honori, bono publico tuendo, largiatur Deus, confeſtim exhibitum dabo. *Bonacinam* veneror, profeciſſe ex illo me impensè gaudeo: quod & de omnibus dictum à nobis eſto, qui talia tractantes, unâ cum optimè diſtinata proſequendi inſtituto, juxta & ſcientiam & conſcientiam adhibuerunt. Et hîc pauciſſimis. Defendenda & cuſtodienda eſt navigatio: neque cuſtodia maris eſt alia, quàm quæ ab hoſtibus, aut à piratis. Quod ſi

ſi omnes quotcumque iſtius ordinis Theologi abeant in diverſa; me non moveant authoritatibus immotum. Ubi & illis & mihi de rationum veritate momentiſque conſtiterit, eſto æquo judici commiſſum judicium. Plura non addo. *Nonne*, interrogat noſter, *iidem piſcatum à Domino maris prohiberi poſſe concedunt?* Demus, mihi quod latet, concedere: quin porrigitur exemplum prohibitæ piſcationis vel ullum. Quid? totne ac tantos viros huc uſque nullum produxiſſe? Miraculi, ſiquidem producere potuerit, meritò inſtar habeat. Cum Theologi iſti de poteſtate loquuntur, (expediat ſe hic *Burgus*) eſtne de aliâ ipſis poteſtate ſermo, quàm de eâdem metipsa, de quâ commate ad Romanos tertio & decimo, eſt Apoſtolo *Paulo*? eſtne de egrediente ſubditos ſibi commiſſos? Si quid non eſt, (ut certè nec eſſe poteſt) ab eorum ſententiâ nec latum quidem unguem abſcedimus: ſi de longè diversâ aliâ, quæ univerſi maris Dominium ulli Principum privatim velit competeræ: negamus tali in interdictione quippiam legitimi etiam vel eſſe poſſe. Stricturus ſua, *juſtè itaque*, concludit, *Maris Dominium jure gentium introductum eſt.* At me tam non ſtantia nequaquam quid in aſſenſum trahunt. Simus & hic parci. Non eſt ſufficiens enumeratio (nedum ut partium illa ſit.) Introductum eſt jure Pontificio maris Dominium: agnitum ab interpretibus illius

lius juris: assertum ab *Ambrosio*: statuminatum à *Philone Judæo*: confirmatum à Theologis moralibus: Ergo jure gentium est introductum. Ad Jurisconsultos. Sic ipse. Jurisconsultorum alii dominio maria esse subjecta ajunt. Alii maris imperium ac jurisdictionem esse sicut terræ. Alii maria accenseri terræ, ad centum milliaria. Alii ulterius. Alii, esse Principis Domini terræ. Alii, in mari esse distincta regna. Alii, mare contineri sub appellatione territorii, & districtus, ut in ipsum jurisdictio extendatur. Alii, maris Dominium consuetudine acquiri ac præscribi posse. Respondimus, eo quo diximus modo, Dominium, jurisdictionem, imperium maris esse. Id quod, mari tamen libero, Dominium exercuerunt rerum domini Romani, concessimus, nec mutamus: non ne pœniteat, faciunt quæ præcedentibus, ejus ut de istius Dominii vi, deduximus in planum. Præscriptionem, utpote quæ juris civilis sit, nec adversus alias sibique exteras gentes alleganda, non esse quod nos habeat suspensos, deductum & supra. *Unum*, ait noster, *dissentire Ferdinandum Vasquium*. Crederem nisi & plures ipse fateretur. Quid enim ipsi commemorato *Grotio*, si solus *Vasques*? Imò verò, inquit, ei occursurus, *Hugonem Grotium maris Dominium approbare censemus*. Teneo meum. Si quid incomparabilem, de maris libero scribentem

tem *Grotium* approbat, fatetur dari Maris Dominium libero mari, seu, ut explicatius, Maris Dominium esse, haberi, exerceri, retineri, retineri velle, justâ eorum qui contra nitantur, repulsâ, quod tamen non impediat, & esse, & dici mare liberum. Id si vult, neque nos aliud contendimus.

NOTÆ AD CAPUT VIII.

Politicos, Historicos, Poëtas, aliosque, Dominium Maris agnoscere.

SEquimur in vestigio præcedentem. *Aristoteles*, inquit, *postquam disputavit, an navigatio exterorum ad civitatem, an civium ad exteros esset permittenda, ac maris commercium concedendum, ne permixtione civium cum exteris mores corrumperentur, admittendam quidem navigationem & commercium concludit, sed procul à civitate exstruendos portus, ut commoda ejus commercii percipiat civitas, damna non contrahat. Cogendos autem exteros, ut ad eos portus, non aliò naves appellant, instruendamque classem pro viribus, & moribus civitatis, ut non solùm sibi ipsi, sed & finitimis ferre possit auxilium, & esse terrori, quemadmodum terrâ, sic etiam mari.* Dico ego: Nihil hic locus ad adstruendum Dominium maris: non enim disputavit, an navigatio exteris

teris esset permittenda, sed an navigatio permittenda ad civitatem. Quæ verò ratiocinatio: Civitas exteris adituris non patet, ergo & iis, quibus ad eam aditus non patet, navigandi quò velint, libero mari facultas est inconcessa? Contrà verò ex opinione Aristotelis, cum mores exterorum pertimescendi sint, commercia cum iis haberi utile est, & tutenda navigatio; sic optimè sibi cauturis ab iis, quæ forinsecus super ingeri possent, è specula velut penetraturis in consilia, vitaturis noxia, promoturis quæ utilia. Quod secundò dicit: *cogendos exteros non aliò appellere*: id ipsum manifesti & quàm concessissimi juris est, unumquemque Principem, aut Populum, aut civitatem ita portubus dominari; ut aut arcere exteros, aut certis legibus admittere possint. Quod tertiò censuit, classem ita paratam habere, ut terrori sint, ut terrâ, sic & mari: rem non conficit, si quid his verbis Dominium maris contineri obtendit. Mens ergo Aristotelis est, curare debere civitatem, ut imperium maris obtineant, idque instruendo classem. Si credidisset imperium maris tale esse, quale terrestre: addere debuit, si Imperium & Dominium maris habent, curare debent ut id conservent. Nunc non certæ alicui civitati hoc præscribit, sed omni, quæ sibi, quæ suis benè beatèque esse volet. Omnibus ergo consulit, si sapere velint: ut se curent mari

mari terrori esse, instruendo classem. Itaque secundùm *Aristotelem*, Maris Dominium expositum est omnibus: teneri autem ab iis, qui viribus maritimis prævaleant, idem velit. *Politici omnes fermè cum Juris-Consultis sentiunt, ac tanti Maris Imperium apud ipsos est momenti, ut ab eo rerum summam esse arbitrentur. Isocrates nempe opinatus est, fore, ut ea civitas, quæ in Græciâ mari poteretur, pleraſque cæterarum dicto audientes haberet.* Hinc noster in exempla sedidit, quibus transcriptis non est opus: Huc summa redit, quæ ipsius verba, *Monarchiæ quandam epitomen esse Imperium Maris.* Dicamus vera esse quæ dicit, ac prout citat; sed tale Dominium non consistit in præsciptione aliquâ aut prætentione, sed viribus maritimis, & classibus. Cum verò unicuique civitati aut Principi liberum sit, vires mari comparare, etiam eidem liberum erit, Dominum se maris facere. Docent hæc omnia omnium ab antiquo exempla, ab ipso *Burgo* prolata. Et quid aliud certè est θαλασσοκρατεῖν? An hoc erit monumentis & documētis exhibere jus suum, quod ab antiquo, in mari, parentes, majores, eos qui antecesserunt, tenuere? An mari potitur, qui ex chartis Dominium suum probat? Hoc utique chartaceum auxilium aquæ esset impatiens, utpote quod & ipso siculneo minùs foret utile. Venienti ad Poëtas: ipsi *Homerus Imperium Maris obveniſſe Neptuno teſtatur. Id*

impetrantur Mythologi, maritima omnia cum insulis ei obvenisse. Demus, quippe non nescientes qui simus, recenti mundo nondum cognitam fuisse artem navigandi: neq; possessionem maris, aliud significasse, quàm insulas & terras mari conterminas. Quæ ex Poëtis citat, sciens omitto. Latus in illis fui, meis ad *Seldenum* notis. Dixisse suffecerit, quò venustatem captent, malle ferè semper Poëtas impropriè loqui. Largitur hoc ipsis percrescens in immensũ, nec historicâ fide sua verba alligans suaviter inter facunda nec non fœcunda, Vatũ licentia: quod de se ipsis testantur. *Astrologi item*, quod vult, *sic loquuntur*. Placet nostro *Firmici* autoritas. *qui eos quorum in themate genethliaco Luna excrescens prosperâ Jovis radiatione accedente, somniat maris ac terræ Dominia possidentes, quocumq; fœliciter exercitum esse ducturos*: placet & eorum qui oneirocritica vulgarunt. Sed sunt ea reverà operecula digna hac *Burgi* patellâ. Nec enim sua ipse insomnia rectiùs terminarit, quàm innuendo, somniantium esse, credere se Dominos maris esse. Amantium est, sibi somnia ipsis fingere. Sabini etiam, quod volebant, somniabant. At ex talibus assertum ire omni cui cumque juri evertendo prolata, sibi met, atque intemerato judicio *Burgus* si relinquatur: unâ hoc suum argumentum plagâ resolvat, dicatque id velle, tantundem esse atque insanire cum ratione.

NOTÆ

NOTÆ AD CAPUT IX.

Argumenta eorum qui Maris Dominium haberi posse negant.

MUtato clypeo nunc in arma indutos exit Noster. Postquam prolixè sibi satis applausit, sibimet triumphalis quadriga, albis invectus equis, & vector simul, assurgit tandem. Ait, (sincera damus:) *At nihilominus non pudet quosdam, quos ἀντιγονιστὰς adversariosque jam appellare non possumus, in aciem prodire, & maris communionem obtendentes, ipsum Dominium impugnare. Et, Deus bone! quantâ qualique cum manu! Fumos antiquitatis offundunt, Poëticas fabulas opponunt, Juris-Consultorum responsis, Imperatorum placitis, Sacræ Paginæ oraculis abutentes, faciunt labantem opinionem. Puderet cum iis manum conferere, quos temerè prodire non pudet, ni Dominio nostro derogaret, si spatiari per mare illos pateremur.* De singulis suo loco. Quod de fumis antiquitatis dicit; dico ego fumos esse, quòd *Noachum* noster dicat, *testamento terrarum orbem & maria inter filios suos divisisse*. Non autem fumos esse, sed ipsam veritatem dicere, Immobilium communionem primitius non fuisse: terræ fuisse partitionem ejusdem factam, non ex communi aliquo consensu,

ſenſu, aut pacto : minimè ex teſtamento primi Patris, ſed prout gens quæque numero, viribus, aut induſtriâ prævaluerit : maris, ut aëris uſum communem manſiſſe ; ejus tutelam penes eos fuiſſe, quorum maximè inter erat commercia exerceri. Pro viribus tamen ſuis unaquæque gens cum piratis ſemper bellum exercuit; quaſi communi conſpiratione contra hoſtem communem, res pariter communes ſartas tectas conſervaturi : niſi quòd & degenerarint inductâ velut humanitate, & accommodato ad vim & violentiam nomine Virtutis, de quo paſſim Patres, ubi de *Nimbrodo;* prophanique, quos collegit *Servius*, loco quem ſupra citabamus, à *Burgo* ſibi in auxilium præcitato. Verùm & nos neceſſarium non putamus, de Antiquitate ſeorſum agere : ſufficere rati, quæ ſupra diximus. Quod de Poëticis fabulis objicit, miramur quâ fronte hæc ab eo dicantur, qui ex diviſione imperiorum inter Jovem, Neptunum, & Plutonem, ab *Homero* factam, evincere conatur, imperium maris eſſe poſſe. Quaſi verò *Homerus*, per Stygias paludes, & regnum inferorum, Hiſpaniam intellexerit : per mare, Dominium Græcorum. Aut quaſi unquam tota Græcia ſub unius imperio fuiſſet. An, cui aniles fabulæ tantùm placent, diſplicere poſſunt ea, quæ veræ hiſtoriæ ſpeciem præbent ? Quid enim veritati magis conſentaneum, quàm merenti

renti mundo, non fuiſſe lites de poſſeſſione, cum præ paucitate vix ſeſe à feris defendere poſſent. Teſtem dabo *Moſen*, qui dicit, *non ſimul ac ſemel hoſtes Iſraëlis Deum exſtirpare voluiſſe, ſed paulatim, ne terra à poſſeſſoribus vacua, à feris beſtiis occupetur : & in ſolitudinem redigatur.* Hinc eſt, ut non injuriâ, aureum ſæculum appelletur à Poëtis, cum *Non clypeus, non enſis erat, non bella fuerunt* : quibus itidem : *Horrendos primus qui protulit enſes : Quàm ferus, & verè ferreus ille fuit.* Hinc & Poëtis, qui gnomicos ſe haberi volunt, cum vel maximè agitant ſeria, cum patruos ſapiunt, execrationi ferreum cedit ſæculum, aureum non aurum contra, ſed & ſupra prædicatur, quippe, *quo furem nemo timeret, Caulibus & pomis, & aperto viveret horto.* At quis non hic etiam illud Poëtæ ultra Sauromatas impingat, *inviſum Verri furem, Miloni homicidam, Clodio mœchos, Catilinam Cethego?* Concludit ipſe, (cui nec id malè *divinus* ἄυσσεν *Homerus*) Neptuno mare in dominium, ſuam quippe partem ceſſiſſe. Mirum, ni à Patre Vatum, Heliconis Principe, tanquam jurato teſte, veri aſſertionem deducente, ut dubitationi nec locus ſit futurus, exigendi ſint cancelli, ſint cancellos contra vim, luxamenta, rupturam, emunitura clathra nobis depoſcenda ; cum Deum agnoſcet. *Virgilius*, Deum *ire per omnes terraſque tractuſque maris* (ſuis & fluctibus depreſſo Sortiario

Neptu-

Neptuno) *cœlumque profundum* , Jovis omnia plena agnoſcit , cum nihil hîc minùs quàm jocularis Poëta ingeminabit : *Quid prohibetis aquas ? uſus communis aquarum eſt* : cum robori ſuo munimentum præſtruxit ſat maſculè. *Nec Solem proprium natura , nec Aëra fecit* : Cum *tenues undas* utriſque adnectens, epiphonemate , communem aquorum uſum eſſe, adjecto , tutatur divam Partamejam, erraticis in inſulis vagam. Cum & in *Catone* ſuo *Lucanus* detonans , cœlum , pontum , terram , aërem , virtutem , niſi ad Deum , originem quippe omnium , trans-ſcripta tranſmittet ? Cum, eo quoque prior, ſciſcet Venuſinus: *Quod propriæ telluris herum, natura nec illum, nec me, nec quemquam ſcivit ?* Mirum ni & inurbanitatis reum eum arguat , qui inurbanum ut ut, innocentem tamen, & ſine crimine (quod fors & ignorabat) notum *Ofellum* villicum , ſic loquentem introducat, verè hic abnormem ſapientem (ſic videri velit *Burgus*) craſsâque Minervâ. Sed cui tamen Deus, natura , ratio omnis , jus, æquum, bonum omne , gentes , mores omnes, quidquid in æqui , boni , juriſve nomen venire poteſt, haberi, amplecti, pro tali retineri, defendi, & poteſt & debet, (ſi quid polleant) accedunt, acceſſere ſemper , nunquam deceſſerint. Clauderem cum Poëtâ : *Hæc mecum impranſi diſquirite* ; Sed quia noſter heros ſuas reſponſiones proximè ſubſequenti Capite

pite profert , & hic figam, quod facturum me recepi, fecique hactenus, pedem in veſtigio ; & in ſequens hujus diſputationis comma deferemus.

NOTÆ AD CAPUT X.

Confutatio Opinionis Adverſariorum de Rerum Communione.

GRotium quî laceſſat ! *Burgum* iſti animi ſui morbo relinquo ulciſcendum. Leoni mortuo inſultent & lepores : barbam de facili vellicent, os depalment. Satis hoc, quod ipſi, quod mihi, poſt poſitum mortale, quidquid erit , voveam potiora. Sit ſua cœlo receptæ menti quies, ſit & nobis, quando eum quem præmiſimus (amiſerunt Pietas, Virtus, Bonæ Literæ) ſequemur. Audiamus euntem ad citeriora. *Num igitur adverſarii nos cogunt his fabulis credere ? In quæ tempora hoc ſæculum Saturnium incidit? Scilicet minimè ſeneſcebant homines : atqui moriebantur tandem : Unde defectus iſte Naturæ ? Cur abrogata eſt rerum Communio , & non potiùs Natura ad hoc compulit?* Reſpondeo. In hoc tempus incidit, quo *Burgus* aſſerit per ſortes Neptuno maris imperium ceſſiſſe. Quod homines non ſeneſcerent, facilè nobis affingit, ut facilè refutet. Quòd verò naturâ ſuadente

abrogata sit rerum communio, facilè conceditur. In hunc finem communionem fuisse dicimus, ut ostendamus ab eâ recedi non debere, nisi suadente Naturâ. Cum itaque augescente genere humano, terrarum communio damnosa esset; ita quò magis multiplicarentur homines, usus maris magis necessarius factus est, atque vel in tantùm ac tam latè exporrectim quoque, ut ut vel privatim, privative nulli apertum, nulli pervium fuisset, quin nec patulum, necessitas deinceps exegisset, ejus usum communem fieri. Nulli hoc homini de leviculo sit, quod maris beneficio aliqua idæa communionis (quam beatiori ac sempiterno sæculo resurrectio, à resurrectione summa fœlicitas, in summi boni perennaturam fruitionem, promittunt) inter homines servetur. Quâ quid est quod nos reddamus indignos, quod Ænæam hunc parvulum (ludere liceat) tanti patris vel ore tenus lusitando referentem instar, aulà depulsum eamus. Agamus creatori, sustentatori, custodi omnium Deo gratias debitas, pro summo hoc munere, quod noluerit ubique terrarum, omnia suppetere: quod eo ipso nos ad communia, in promiscuum cuique bonum devexa studia impulerit vel manuducendo. Sit illis Anathema maranatha, qui divinorum judiciorum securi, suæ avaritiæ, ambitioni, in dispendium toti generi humano communi, velificatum

tum eunt. Consulatur hominum compendiis, consulatur in futurum, in omne tempus, modò ne evertantur omnia humanitatis jura, quibus nulli supervivent, post se functi illos relicturi, quibus illa inviolata, ac pro sacrosanctis transmitti semper & interfuerit, & ut vel nunc quoque intersit, nunquam non sit interfuturum. Ac neque *Burgus* nos unquam edocebit, parem necessitatem fuisse dividendi maris, cum eâ, quæ fuit terræ. Quid enim apertiùs, quàm divisione terræ factâ, quod usus promiscuus terræ fuerit exclusus: maris autem promiscuus usus excludi non potuisset, absque summo humani generis intertrimento? Inequitantem, feroculum *Burgum*, non tango: lasciviat stylo, dictis luxuriet, ampulletur; pertranseo, modò ne quod facit, & absurdi notam impingere nitatur, non volentibus nisi Deo divinæque rationi consentanea, proxima quoque. *Quid ni* (sic amarulentius ille, quàm pro ingenuas artes edocto, & per illas ad morum comitatem edocto) *potius, postquam libuit primorum vitam indagare, & Ethnicorum sequi sententias, cum* Diodoro Siculo *sentiunt? Hic à primordio orbis simul à Sylvestri vitâ convenientes homines autumat, primum humanas carnes devorasse, bellasseque invicem, eo superante, qui viribus prævalebat, & quæ sequuntur.* Si Britannos ἀνθρωποφάγους sequioribus sæculis, nunc in nos quoque Læstrigonum in morem nullâ de causâ

latrocinantes hæc rogat; ipsi responderint. Humanitatis plus à te *Burgo* expecto, ut cum *Diodoro Siculo*, hæc, & his gemina, aut sentias, aut credas sentiendum, quidquid tamen placuerit, ita tibi jus videtor. Non me fero Tribunum, qui intercedendi jus usurpet. Nos qui Christianos nos profitemur, sumus è sacris literis edocti, humanum genus ex unâ prodiisse familiâ: non ergo potuit aliquam habuisse communionem, nisi eam quæ proximè originario statui responderet, & ut verbo, quàm talem Familiam, unde omninum initia politiarum, contemplari detur. Convenit cõmunionis primævæ status, non intervertendus citra divinorũ humanorumq; omnium fœdissimam conturbationem. Largior; facile est, ut ex eâdem domo descendentes, & in plures stirpes divisi, à mutuâ benivolentiâ excidant: ut verò ab ipso statim exordio inter se dissentiant, in se invicem suos, sua viscera desæviant, postea coalescant, ne quidem *Burgi* sit dixisse; ullius certè esse nequit, nisi qui ne quidem ab ipsâ rerum magistrâ experientiâ, quid rerum rectum ve sit, passurus sit doceri. Non ergo incumbam his refutandis. Miror magis: quin & demirari liceat, ausum ipsum hæc obtrudere. *Dicant verius* (damus ipsa verba ex consueto) *non ab ætate aureâ homines declinasse, sed à crudelissimâ anarchiâ, ad concordiam & politiam consultò rediisse. Tantùm autem abest, ut Saturni sæculum aureum fuerit, veluti mentiuntur Poëtæ, ut potius ferreum potuerit appellari.* Cum tamen, quod videmus, ipse ut probabilia reddat, quæ dicit; redeat ad Jovem suum. Æquum petat, ut à fabulis abstineat, qui met, nec citra injuriam, fabulas aliis affricare conatur. Sic ipse porro. *Lucretius sanè melius Philosophatur, quàm cæteri Poëtæ comminiscantur. Is enim enumeratis incommodis, quibus primi homines vexabantur, infert, oportuisse eam vivendi rationem cum meliore commutari:*

Aut genus humanum jam tum foret omne peremptum,
Nec potuisset adhuc perducere sæcla propago.

Ac certè si ab initio orbis conditi erat inter homines ista communio, verosimilius est, inquietam potius, & barbarie efferatam, belluarum more, illos tunc temporis duxisse vitam. Sunt hæc mera contradictoria, barbarie efferatum esse, & belluarum more se mutuò laniare, & communionem bonorum servare. Quis non agnoscit à communione bonorum recessum fuisse, cum imbelliores oppressi sunt. Itaque agnoscimus cum *Lucretio*, leges Politicas ab exordio non fuisse, agnoscimus enatas ex malis moribus: verùm istam barbariem habemus pro sæculo ferreo, ante quod melius aliquod fuisse res ipsa efflagitat. Non potuit ista communio servari, hominum genere multiplicato, nascente potuit. Neque hæc aliovorsum tendant, quàm ut dicamus: primæ-

vum

vum ſtatum mundi commendari potius, quam ſperari. à quo recedendum non eſt, niſi quatenus cogit neceſſitas. Docuit illa pacem ſervari non poſſe ; niſi terra ſuos dominos habeat peculiarem. Diviſio introducta eſt. Illam quæ ratam fecerit, eſt experientia. Ut mare itidem divideretur, nulla neceſſitas ſuaſit. Summa verò pervicit, evicit neceſſitas, ut indiviſum eſſet, ut omnium in promiſcuos uſus ex æquo expoſitum. *At*, inquit, *ſunt in Americâ hujus adhuc communionis veſtigia. Quid? beatitatene fruuntur iſta commentitia? Laborioſiſſimam ducunt vitam, feras diu noctuque per nemora, per montes perſequuntur, ſe ipſos devorant laniantque*. Fieri poteſt, ut unaquæque gens inter ſe communionem habeant. Atqui bello inter gentes exorto, nullus eo durante communioni ſit locus. Si quod beatum ſæculum, non illud erit, cum undique bellum exarſerit (cito omnium Salvatorem, Dominum Noſtrum, hæc edicentem, pro me teſtem) ſed cum omnium gentium erit iſta communio, quæ nunc ſingularum ſeorſim eſt gentium? Quod mecum in dubio *Burgus* è Sacris haurire potuit. At nunc & *Burgo* è machinâ Summus Deus Omnipotens ſtatim dominiorum diviſionem indixit. *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo*. Quaſi verò Adamo diviſum dominium ab aliis hominibus datum fuerit: Et tamen, Virorum non infime, cum tot nata incommoda ex com-

communione recenſueris, neceſſe eſt, ut fatearis, communionem fuiſſe. Sed & ſi nullam aut fatearis, aut agnoſcas, facies id ſaltem inter maritum & uxorem. Id ſi facis, quid eſt: *veſceris pane tuo*? venietne in partem uxor cum marito? Mirum hæc à te non ignaro Monaſticæ ſymbioſeos. Nomine ſuo quiſq; pane veſcitur, cum veſcitur in commune in comeſtu, ſive convivio communi. At noſter inſurgens, à Patre ad filios argumentum procudit: Ait, (verba tranſcribere brevi paratoq; reſponſo, nimis ſit operoſum) *Cainum agricolam, Abel paſtorem, utrumque Deo holocauſtum obtuliſſe de ſuo*. At non erat tum facta terræ diviſio, ſuum quod quiſque ſuâ induſtriâ fecerat, dicebat & ſuum. Quare neque iſti argumento locus. *At*, inquit, *Cain primam Terram Eden occupavit, terminos primus poſuit, & muris valliſque eam munivit*. Adverſum quos verò hoc? Fratremne? at eum contrucidaverat, ejuſne ſobolem? Scripturâ ſit invitâ, occupavit ergo, munierit dum adverſus feras, factas jam tùm id quod nomen ſonat, redditas ex amicis inimicas. Non dedit, nedum ut dederit, nec vel deſignavit iſtiuſmodi occupatio Caino ſoli occupati proprietatem ceſſiſſe. Erat ei trepido, ac neque eam occultum quatiente animo tortore flagellum, foris gladium horrenti, intus contra pavorem non eluctanti, quærendus præfugio locus, aut & mutandæ ſedes, nuſ-

quam

quam tutâ quiete, utque ipſemet ad Deum, profugo de terrâ. Nihil (pace *Burgi* dictum eſto) ineptius, quàm dicere; eum, qui ab hominibus extorris, in quaſcumque demum terras ſecedit, eo ipſo quod ſecedat, factum, quaſi jus porrigente ſeceſſu, iſtius loci dominum, quò ſeceſſit: aut ipſum talem ſeceſſum poſſe intrare in ſolidum juſtæ poſſeſſionis argumentum. Cum circa hæc laxat ſe *Burgus*, latrocinia, prædas, cædes, ruſpat, credere non poſſum, quin ſemet ſibi deridendum propinet. Meminiſſe debuerat, quod ipſemet dixerat, ablegatum Cainem à familiâ Adami. Familia Adami jam tùm non erat totus terrarum orbis, Caino in latrocinia, in prædas, in cædes patens. Scire velim quæ *Burgo* tam ſit maleſuada lubido, fingere ut velit, ea fieri potuiſſe quæ Sacra Pagina nos non doceat unquam facta fuiſſe? Sui ſibi cerebri conſtare ipſi commenta, relinquamus libenter, ſtante pro nobis Veritate. Tranſmitteremus ſed & hæc, niſi quid etiam paria (ſic videri vult) oracula à ſe poſſe adferri perſuaſum vellet, atque adeo ſeſe adferre; cùm allegato textu *Geneſ.* 10. aſſerit Deum Noacho terram & mare dediſſe. At enimverò iſthuc loci neque terra nominatur, neque mare. Dicuntur eſſe quæcumque ſint animantium ipſi in cibum data. Tempora noſter ſupputet: inveniet effluxiſſe tercentos & minimo minus ſexaginta annos, modò ne à ſemet ipſo contrarius diſcedat) antequam illa, quam obtendit, ex teſtamento Noachi facta fuerit diviſio. Facilè patimur, ut nolit haberi pro fabulis, quæ nos, lubentes & ex debito, tranſmittenti, ſic ſe rem habere Sacræ Paginæ, commiſſa relinquimus. Sed ad *Burgum* denuo. Ipſi diviſio jam tum ab origine hujus diſcurſus ſui placuit: altum fuit de primævâ occupatione ſilentium. Et nos diviſioni accedimus: ſodes, illi ſuum tempus aſſignet ex vero, præſtituat ſuo ex commento. Utrum libuerit. Placet ipſi injuriam facere generi humano adverſarios (quos inter, modò & ſi qua meremur Dei ad honorem, Patriæ decus, bonum univerſi, ut anteſtati ſumus, anteſtamur denuò, non erubeſcimus aut nos met profiteri, aut nomen noſtrum) *cum illud belluarum more, ſilveſtrem agreſtemque vitam non in rerum communione, ſed confuſione, interrixam cædeſque vixiſſe aſſeverant.* Subjungit poſt paucula: *Neque enim veroſimile eſt, Adamum, quem Deus creaverat ad imaginem & ſimilitudinem ſui, materiam rixarum, rerum communionem, reliquiſſe. Ut neque Noachum, quem Deus ipſe juſtum ac perfectum cenſuit.* Quis de belluis unquam dixit quod uterentur rerum communione? Non dominantur belluæ: in dominio ſunt: divinitus; naturâ ſic dictante. Si quid à belluis deductum placet, belluinum ſit credere, nihil haberi commune: omnia ſingulorum

esse qui habeant, nihil interesse haberine à privatis possint, nec ne. Eâdem ratione justum dabimus, ut suis catulis cibum invideant, negent, ex ore diripiant belluæ, quippe suum, sibi partum, sibi occupatum, in quem nec catulis, ut utcumque viscerum suorum parti, nihil sit juris. Ne multis: Totum humanum genus judicet, an non proximè accedat ad belluina, interdicere navigatione, interdicere piscatione quempiam, unde ad omnes, quotquot navigant, piscantur, utilitas; ad neminem damnum prorsus ullum? At neque nos ex communione aut rixas aut cædes exortas agnoscimus. Qualescumque istæ fuerunt, istorum rapacitati sunt imputandæ, qui primitùs suum id esse voluerunt, quod erat omnium, quod commune. Sapientiam Adami, quam hîc *Burgus* venditat, prudens non attingo: docente Sacro Textu, sapientissimum fuisse, sic beneplacitum summo Numini. Non inquiro an non sit ex ipso peccato consequutus scientiã boni & mali; cum ipsi adgenita, ingenita simplicitas esset, & ejus ignoratio, cujus oppositũ est bonum. Sed esto, prævidere quoque Adamus potuerit, contentiones inter posteros suos futuras de rerum dominio: Quid remedii adhibere potuit? Anne ut interdiceret, ne quam inter sese haberent bonorum communionẽ? Ita quidem injecisset suorum cuique curam, non pro aliis sibi soli prospiciendi.

Quæ

Quæ una vera ac vetus caussa est rixarum, pugnarum, ac cædium. Quibus communio placet rerum, quibusve unquam ea placuit, hoc solo nituntur, quod major futura sit animorum conjunctio, cum quisque non magis quæret id quod suum est, quàm quod alterius; & quatenus alterius, etiam omnium. Sed & eò descendamus, age, mundum inter liberos suos Adamus diviserit. Quid tum? Postulet ipsa ratio, maximè ut multitudini cessisse credendum sit, quæ essent protensiora. At fieri hoc potuit, ut ab illo tempore numerò minores in majorem ac numerosiorem sobolem exirent. Nulla ergo hic ex divisione speranda æqualitas: In dissensiones area quàm latissima. Nihil proclivius, quàm ut hinc æquitas, illinc titulus, in mutuam perniciem armaret, sua sibi erepta nolentes: possessa quovis modo retenturos. Vult noster; quæ adseverat, & jam Abrahamo Patri fuisse cognita, *ut qui à Nepote suo Lotho secesserit, ut dirimeret lites, quæ inter utriusque familias, propter rerum communionem, oriebantur.* Negamus hoc. Nullo modo factum id communionis ergo: Habebat quisque seorsim sua pecora, sua armenta, servos suos. Horum verò gratiâ lites ortæ sunt inter familiares. Terram verò fuisse communem, pateat vel hinc, quòd Abraham & Loth, cum pecorum, cum armentorum uterque plurimum haberent, convenerint

de loco in locum, in Ægyptum, inde in terram Canaan, semperque ulterius, ut *Genes.* 3. c. 3. Imò separatione inter se factâ, optionem Lotho dat Abrahamus, quam partem velit: si dextrorsum, ipse sinistrorsum iturus. Nos aliud non contendimus, quàm terræ divisionem non nisi serò introductam fuisse. Ad absurdum nos vocaturus noster, inquit, *Communia dicenda fore, non quæ sint omnibus communicanda, sed amicis duntaxat. Juxta illud. Amicorum omnia communia.* At hoc diverbium non amicos privatim respicit, sed totum humanum genus, in quo Juris-Consulto teste, cognitionem quandam natura instituit. Neque nos à quopiam exigimus vel quippiam. Dicimus, illud naturæ, æquitati, gentium juri, conveniens esse, ut communia sint, quorum usus potest esse communis, & sic quidem communis, ut nulli privato, nulli gentium, ex tali communione quid decedat pereatve. Anabaptistas, quos in pegma adducere affectat, morari nostrum non est: affectent illi, qualemcumque demum velint, communionem: nullus dixerit, ei quid commune intercedere cum hâc controversiâ.

NOTÆ AD CAPUT XI.

Confutantur argumenta, quibus Dominium Maris impugnatur.

VEntum nunc ad divisa: eorum classi mare accenseri posse negantibus, ut validius incursare *Burgus* videatur, à sarcasmo orditur. *O mare ingenuum! O mare beatum! Homo creaturarum perfectissimus, Dei referens imaginem, dominum patitur, astra sapienti obediunt, mare non servit. Quantum nimirum est hujusmodi privilegium!* Ne quid nimis. Imò mare omnibus servire debet, ipsisque adeo servis. Terra quæ proprium dominum habet, ab omnibus aliis libera est: Minùs servitutis est uni duntaxat esse mancipem, quàm omnibus. Ita apud Comicum servus conqueritur, *scire cupio, quot habeo dominos?* Quòd autem liberum appelletur, cum tamen significetur libertas maris, sed omnium hominum eo uti fini volentium, non nostrâ id authoritate facimus, sed Juris-Consultorum: imò Imperatorum? Sed ad Argumenta. *Ajunt*, inquit, *adversarii: ea quæ occupari non possunt juxta præscriptas occupationis leges, aut nunquam occupata sunt, nullius esse possunt. Falsum*, ait, *quod primum ponunt, proprietatem omnem ab occupatione cœpisse; nam post diluvium, ut ostendimus, proprietas & privata dominia à divisione Noachidarum cœperunt originem.*

At hoc nec probari pote; nec ſimile eſt vero. Demus tamen teſtamento Noachi diviſionem factam eſſe, quandoquidem hoc ei commentum placet: ſine occupatione tamen nemo dominium adeptus eſt. Quæ hæc, ſodes, rationatio? A diviſione prima origo, ergo non ab occupatione? Qui hæres ſcriptus eſt, hæreditatem niſi adierit, dominium non acquirit. Pergit: *Ridiculum ſanè eſt, quod aſſerunt, ea quæ nunquam occupata ſint, in nullius poteſtatem poſſe tranſire. Cervus, Caprea, Inſula in mari nata, nunquam occupata fuere: nullius ideò fieri poſſunt.* Aſſertor liberi maris, immortalis memoriæ *Grotius* hic qui perſtringitur, nuſquam dixit nullius fieri poſſe; dixit nullius eſſe poſſe. Rectiſſimè. Cervus, caprea, &c. ſi nunquam occupari contingat, impoſſibile eſt, ut ſint in alicujus dominio. Mare dicit nunquam occupatum fuiſſe: ergo nec dici poſſe, in ullius bonis fuiſſe. Quod ergo *Burgus* pro Grotii verbis ſua ſubſtituat: *in nullius poteſtatem tranſire poſſe*, cum dicendum eſſet, *tranſiſſe*, ſequiori ſe ſuſpicioni implicat. Dictum inter cætera *Grotio*, mare occupari non poſſe, quia ſit diffluens; aut, ut *Burgus*, propter ipſius diffluentem & fluxam naturam. Hic reponit: *Quid ſtabile in hâc rerum humanarum viciſſitudine? omnia fluunt & labuntur; nullius ergo rei erit dominium. Atque ut propius accedamus, fluminum aëriſque natura fluxa non minus eſt, quàm maris.* Paulò poſt.

poſt. *Quis neget flumina in poteſtatem poſſe tranſire?* Ac mox; *Anne dum fluunt, ſerviunt flumina, cum in mari quieſcunt fugitiva quodammodo, quaſi ad aſylum profugerint, ſervitute liberantur?* Regero. Omnia quidem mutantur & in interitum vergunt, ut fluxa dici poſſint, idque per tranſlationem metaphoricè. *Grotius* de propriè dicto fluxu loquitur, Juris-Conſultos ſecutus, qui dicunt, aquam profluentem nullius in bonis eſſe. Nam licet fluvius in bonis ſit, non tamen ſecundùm omnes partes ſui in bonis eſt. Ita ſi dixero; Ager iſte in bonis eſt, & locus ille qui in agro eſt: nullus autem locus ſine aëre eſt: non tamen rectè dixero; aër ille in bonis eſt, & poſſidetur ſicut ager; cum aër ille ventus ſit, momento tranſiens. Neque enim difficile erit probatu, aërem communem eſſe & nullius in bonis, aut dominio. Sed abſurdum putat *Burgus*, ſi flumina, dum fluunt, ſerviant; liberentur autem, cum in mare profluxerint. Quid apertius, quàm aquam fluminis poſtquam in mare profluxerit, non eſſe in bonis illius, qui dominium fluvii habet? quod verò fluvii ratione riparum in bonis ſint. Verùm & pergit. Rogat; *Cur non & maris alveus alicujus eſſe non poſſit, in quo fixos ſtabileſque terminos figere, eoque illum limitare & occupare queunt urinatores? Quod mare occupavit, fit publicum: item quod flumen. Quòd ſi flumen recedat, fundus ad priorem dominum redit,*

dit, quidni & fundus maris? Nemo hactenus maris alveum dixerit, cum fundum intelligeret. Neque verò negari potest, maris aliquod spacium occupari posse per urinatores, palis, aut aliquâ indagine claudi, & ita mare privati dominii fieri posse: nisi fortè interdicto prohibeatur; puta, si navigaturis incommodet. De quo supra actum est. Quid! si mare telluris partem occuparit, atque rursus excesserit? absque dubio terra ad pristinum dominum redit. Dum spes est terram recuperari posse, aut mare excludi; si non res, at certè spes in bonis erit prioris domini. Hinc si collegeris, fundus maris in bonis esse potest, ita verum erit, ut de aliquo fundo maris dici possit. Quin & ultrò damus, si quis fundus maris sic comparatus sit, ut ad formam terræ reduci possit, in bonis meritò esse potest, etiamsi ante hæc in pretio non fuerit; Item si lapilli, corallia, conchæ, in fundo reperiantur, unde quæstus fieri possit; fundus in bonis esse poterit. Difficilis quidem retentio, seu possessio, non tamen dici potest, nullam esse posse. Sed universim dicere, quævis maria privati dominii esse possunt, ex hoc non evincitur. Pergit Burgus. *Aëris Dominium negatur à nemine, & recepta passim sunt jura servitutis altiùs tollendi, luminis, prospectus, aliaque ejus generis, quæ aëris dominium important. Præterea, dominus soli dominus est usque ad cœlum, totumque intermedium aërem ita pos-*

sidet, ut in ejus sit potestate, in eo quodlibet facere. Imò aëris dominium nulli unquam tributum est, nisi Satanæ, qui *Princeps aëris* dicitur. *Eph.* 2. Et si Juris-Consultorum testimonium vis: Ecce Celsum in L. Littora §. 1. ff. *Ne quid in loco publ. Maris*, ait, *omnibus usum communem, ut aëris.* Martianus item in L. 2. §. 1. ff. de D.R. *Et quidem naturali jure omnia communia sunt illa, aër, aqua profluens, & mare.* Ipsum Justinianum audire si malis: *Naturali*, ait, *jure communia sunt, aër, aqua profluens, & mare.* Instit. de R.D. Et hic aliquis dicere audeat, maris dominium negari à nemine? Quod adducit jura servitutum altiùs tollendi vel non tollendi, luminis, prospectus, quasi hæc aëris dominium importent, frustra est. Talis servitus rei adhæret. Solis lumen omnibus ex æquo competit, luminibus tamen tuis officere possum, & ex pacto non potero. Non quòd Sol in dominio non sit, sed quòd domus aut prædium habeat jus altiùs tollendi, ex quo per accidens consequitur, ut ex domo tuâ Solem conspicere non possis; neque ideò minùs, quoad Solem juris tibi, quam cuilibet alii. Hinc quia jure servitutis ex pacto fieri potest, ut luminibus meis obstruatur, sequitur extra pactum non posse. Si ergo concedi debet, lumen in nullius privati dominio esse posse, sed ejus usum omnibus concedi: de aëre certè tantundem dicendum: puta in

nullius esse dominio, quod non alio exemplo ostendam, quàm eodem quod *Burgus* allegat. *Cum Romæ Demophoon Ferrinus ædes esset exstructurus, Jesuitæ ei negotium facesserunt, quod Boreæ flatum ipsis esset adempturus, illâ in urbe saluberrimum*; Non erat necesse dicere, se ventum præscripsisse, quod *Burgus* asserit, sed rei communis usum illis eripi non debere: cum ipsorũ interresset à vento Boreâ non secludi. Ita in mari molem exstruere unicuique liberum est, si tamen alius, cui itidem maris usus communis esse debet, damnum pateretur, interdicto uti poterit. l. 2. § 8. *ff. Nequid in loco pub.* Non quia is qui interdicto utitur dominium maris habet, sed quia jus habet utendi re communi. Itemque si ad introducendam servitutem pactum interveniat: ex tali pacto non introducetur dominium aëris, sed jus fruendi aëris aut conservabitur aut restringetur. Illud verò stupendum, quod *Burgus* asserit, dominum soli, etiam dominium aëris habere usque ad cœlum, ut in ejus potestate sit, in eo quodlibet facere: interim paucis lineis interjectis, asserit, Ferrinum jure prohibitum altiùs ædificando Jesuitis Boream intercludere. Dico ego, ex eo non sequi aërem non esse communem: sed contra sequi, communem esse. Si enim in solo communi ædificare licet, & qui ædificavit, dominus soli fit, multò magis in proprio altiùs exstruere

struere licet, & quidquid spatii ædificando occupatum erit, domino cedet; sed ineptè diceretur, ideo, quia occupari possit, etiam id propter esse in dominio. Tum & illud perperam dicitur, aër possidetur, quoniam aliquod alicujus loci spatium possideatur. Meliori jure aër excluſus dici posset, ædificando ut non possideatur. Dices aër qui fundo meo insidet aut incubat, à nemine occupari potest, me invito: rectius diceretur, locum illum ab alio occupari non posse. Aër commeat de loco in locum: at locus immobilis est. Cæterum tantundem de quolibet loco, in quo homo consistit, dici potest, jure suo illum occupat, maximè si in publico, neque absque injuriâ loco pelli potest: locus tamen manet publicus: & in mari non spatium navis tantum aut statio occupantis est, sed & cursus uniuscujusque navis ab aliâ impediri non debet. Itaque usus rei communis, ut & publicæ, possessionem introducit privatam, ut tamen natura rei non mutetur. Quod si naves in perpetuâ statione esse possent, quemadmodum domus, ut quod solo inædificatum est; spatium illud in privato dominio esset; & ex communi factum privatum. Tantundem de aëre, aut potuis de loco, qui solo imminet, dicendum est: dominii scilicet esse, quatenus possidetur. Si ad cœlum usque inædificatum fuerit, ad cœlum usque in dominio erit, sed quò altius, eò

casui quoque & ruinæ magis vicinum. Verumtamen flumen ripis terminatur, mare non item. Occurrit Burgus. *In arenis Lybiæ nulli limites. Nilus inundans terminos agrorum tollit, & tamen in proprietate sunt.* Respondeo, istæ arenæ, loca ista deserta, non sunt in cujusquam potestate, aut proprietate, & tamen alicui privato dominio subjecta esse possent: tantundem de dominio maris. Terra quâ coli potuit, facta est dominii privati: mare non est factum dominii privati, ut nec fieri potuit: Privatum dominium, privatos limites requirit. Noster porrò. *Pyxidis nauticæ, astrolabii, hydrographicæ tabulæ adjumento, locum in quo versetur, quorsum tendat, quantùm à terrâ distet, quis ignoret? Quis Æquatorem, Tropicos Cancri & Capricorni: Circulos, Arcticum, Antarcticum, Meridianos, Parallelos? Quare certos fixosque limites mare agnoscit.* Respondeo; Istiusmodi limitibus Jurisdictiones posse terminari, dominia privata non posse. Scimus & in terrâ non minùs quàm in mari istiusmodi fieri solita, nullorum tamen possessiones aut dominia in terrâ, ex talibus dimensionibus limitari unquam audivimus. Itaque dicimus, discreta illa esse, Jurisdictionem, & dominium sive possessionem. Princeps habeat jurisdictionem: nihil intercedit quò minùs quod imperio, quod potestate complectitur, ad alios quoad dominium pertineat. Habet etiam privatum dominium

nium Princeps; puta res fisci. Discreta tamen hæc à jurisdictione, quæ non tantum esse possit in territorio, cujus fundi sunt in privato privatorum dominio, sed propriè in iis tantum locum habet. Ita Rex propriè Rex non dicitur respectu rerum quas habeat in suo patrimonio, sed illarum proprietarius. Regem esse, non est re suâ uti, sed illis jura dare, qui non sunt servi Regis, sed subditi: Servorum suorum Dominus est, non Rex. Cum ergo Rex non habeat mare in bonis suis, tanquam patrimonium, neq; privatorum aut subditorum quisquam mare possideat, tanquam privatum dominium; meritò dicamus, mare non esse in dominio, nec esse posse, quia omnia dominia limites suos habeant, necesse sit. Ubi limites poni non possunt, ut habeantur pro indiviso, res exigat. Sequamur. Sic *Alexander VI. factâ lineâ à Polo Arctico, ad Antarcticum, navigationis modum posuit inter Castellanos & Lusitanos; sic & termini positi inter Regem & Hollandos. Imò & ipsæ terræ sub hac divisione continentur.* Quod navigandi modus constitutus sit, aliud est quàm possessionis terminos ponere. Qui navigat mare, non possidet mare. *Possunt etiam à scopulis, montibus, promontoriis, Insulis, facillimè maris termini præfiniri.* Quoad jurisdictionem, fatemur, ut dictum est. At, rogat. *Nonne receptum est in mari esse distinctum & territorium? Nonne in mari sunt & regna di-*

ſtincta? Quod nam habet juriſdictio privilegium, ut ejus gratiâ terminetur mare, dominii cauſsâ non terminetur? Hoc privilegium habet à Naturâ: ſicut enim in terrâ aut continenti juriſdictio eſt imperium in eos quibus terræ dominium competit; ipſa verò aliud quàm ipſum dominium; ita juriſdictio non terminatur per limites agrorum, ſed per flumina, aut maria, aut montes. Ita in mari major erat neceſſitas terminandi juriſdictionem per promontoria, montes, inſulas. Cur verò dominii cauſsâ non terminetur, hæc comprimis cauſsa, quia dominia hîc nulla ſunt. Privata quidem nec eſſe, nec eſſe poſſe, pro omni teſte eſt experientia. Reſtat inquirere, an publicum ſit dominium. Tale non agnoſcimus, & in progreſſu refutabitur. *Ambroſius*, ita ipſe, *Geometram ſe audiviſſe* dicit, *Thalaſſometram nunquam, verborum potius alluſionem facere dicetur, quàm vocabulum ignoraſſe.* Quid manifeſtius, quàm immenſum eſſe mare: metiri non poſſe? nam quod viæ maris, & diſtantiæ ab elevatione Poli metiri poſſint, talis menſuratio non reſpondet Geometriæ, de quâ *Ambroſius*. Non ille globum terræ intellexit, ſed illos agros, qui unicuique ſunt proprii. Ait: *Subdunt, maris nunquam facta eſt diviſio: at nunquam fuit occupatum.* Quale portentum! Minos, Athenienſes, Lacedæmonii, Ægyptii, cæterique, quos retulimus, mare occuparunt. At primam

mam diviſionem nunquam reperies factam. Quid ſi inter hoſtes pace factâ imperium maris fuiſſet partitum; tamen nunquam illa fuiſſet univerſalis, totius humani generis in illam diviſionem ſecum adſenſum. ferens. Quod ſi tamen aliqua unquam facta ponatur, non eſt eò ſecius, ut aliqua non poſſit poni, quæ proprietatem inducat. Quæ de imperio maris antea dicta ſunt, etiam antea ſunt refutata. *Non fuit, inquiunt, mare occupatum & diviſum: quoniam cum rerum diviſio facta eſt, mare majori parte erat incognitum. Frivolum. Anne quæ poſtea detectæ ſunt regiones in mari, natæ inſulæ, in ſylvis feræ, ideò quod tunc eſſent incognitæ, occupari non poſſunt?* Etiam quæ poſtea inventæ & detectæ fuerunt regiones, dividi antea potuerunt. Abſurdus eſt *Burgus*, qui ſic de feris loquatur, ac ſi poſſent dividi; ac ſi eſſent, fuiſſent diviſæ. Quando id ſodes? unâne cum mari? Ex teſtamento Noachi? aut potius ullâ, quæ id eulogium quoque preceſſerit omnium primi parentis aſſignatione, id quod Deus omnibus commune voluerat in privatos dominos, dominia privata diſpeſcente? Nemo ex hoc ſequi dixerit, occupari non poſſe, ſed occupata & diviſa non fuiſſe, in primâ diviſione, cum unicuique genti ſuæ portiones aſſignatæ ſunt, ſed communitati relicta. Diſpar ratio in iis quæ detecta non erant, aut poſtea nata. Mare ipſum ſi quidem cognitum

tum fuit, cognita non fuit illius magnitudo: Id ipsum verò ad sortes & ad divisionem deducere, cujus magnitudinem ignores, anne die uno vel & anno toto exploratam habere possis; quis eorum fuisse putet, qui fuerint sanæ rationis compotes? Præterit interim *Burgus*, id quod magis ad rem: nimirum id temporis nondum cognitum fuisse usum navigationis. Est ab omni ratione alienum, cum nullum maris usum qui noviſſet, esset, id tamen velut à probè edoctis, in sua commoda vēturis, sibi habituris illa, & vel non intervertenda, mare divisum velle. Ad objectionem nostram, Mare omnium usibus sufficere; semper ergo commune esse debere, Respondet. *Quid si meæ pictæ tabulæ absque incommodo meo alios oblectare possunt, mihine exponendæ erunt? earumne dominus esse non possim? In candelâ, igni, meis, idem judicium.* Illud primùm ex hoc sequitur, divisionem maris factam non fuisse in primâ rerum divisione: Neque postea causſam fuisse, cur divideretur. Quæ exempla allegat, non agunt de dividendo rem: sed de eâ exponenda, quæ jam in dominio est. At propius respondentem audiamus, excutiamus. *Navigatio exterorum, iis qui mare accolunt, utilitatem & commodum minuit, qui fortasse id genus mercaturæ exercerent, quod exteri exercent.* De exportandis mercibus si quæritur, in eorum id arbitrio est, qui portubus præsident, sitne jus exteris prohiben-

hibendi ne evehant. De introducendis, si quâ cum inquilinorum incommodo introducuntur, interdictio fieri poterit, ut multorum apud quoslibet fit. At certè ut negotiatio omnis inquilinis conservetur, fieri non potest, & si quid fieret, talionis jus id non exiret. Quis autem dubitat, hæc jam dudum in usu fuisse futura, si vera diceret *Burgus*, & ab exemplis factum testantibus, instructior esset, quàm est à nudis verbis; & quàm elangueſcit in eo, quòd *fortassis exercere vellent?* Quòd si hæc ita se habeant, cur non planè arcent extraneos portubus suis? habent utique sibi illorum citra ullam controversiam dominium? Quid opus navigatione interdicere, & maris dominium tibi asserere, cujus exequendi facultatem habeat, certè non sine maximis expensis: illud verò quod præ manu habent, non teneant? Quis non agnoscat hæc, & hujus generis argumenta, conquisita esse, ut injustæ causſæ aliquam æquitatis speciem prætexerent? *Præterea*, sic ipse, *cum tueri ac defendere navigationem maris dominus teneatur, eamque brevium signis ac luminibus appositis, adjuvare, hoc accessit impendium, si mare ab exteris frequentetur.* Quasi verò eadem signa, aut lumina, augmentanda essent, si plures naves idem mare frequentitent? Demus tamen esse: si quid nolint, ut ne augmentent, est ipsorum arbitrii. nulla ob id necessitas, ut navigare prohibeant. Imò

contra, cum impensæ sint faciendæ, ut aliqua navigatio sit, ad sublevandas impensas utilis navigantium frequentia est, quæ ad paucos ut ne redigatur, est è bono communi. Ait, *Si exteri piscentur, seu pisces, seu margaritas, seu corallia, mare piscibus redditur infrequentius, aliisque facilè exhauritur.* At certè maris Ligustici dominium, non navigantium gratiâ, neque coralliorum affectare sit operæ. Nulla ibi exteros piscatores copia piscium, quibus scateat, allectos distinuit. Si quid tamen in partem veniunt piscatores, pisces, illos necessè erit in Liguriâ commorari, neque erit cur ex Hispaniâ, ex Galliâ, multorum dierum itinere, ultro citroque discursitent. Demus ex piscatione reditum: ad id ut subditi piscari possint, dominio maris non erat opus; nec ut daretur hoc indigenis, exteri summovendi: cavit satis loci propinquitas: exteros, si quid nolint, interdicant, ne pisces commercentur. Non hæc, quod ulli civitati id expedire credam, à me dicuntur: sed ut ostendam, esse hæc omnia longè quæsita, aliena, peccantia in commune bonum, rem non juvantia. *Quid! si quis per mare alterius, regno propinquum, ad ejusdem regni hostes, merces, apparatus, arma ferat? nonne illi regno afferret damnum & interdici potest & debet? Hoc quo jure, si maris communio est?* Jam aliquoties ad hoc responsum. Breviter dico, meliori jure, quàm si mare alterius dominii sit, nostri

stri non sit. Quis verò tandem non impediet, si poterit, licet intelligat mare non esse sui dominii? Qui hostibus auxilium suppeditat, pro hoste haberi potest. Ait: *Posuerunt mare jure naturæ esse commune*, jus autem naturæ esse immutabile. Imò ponimus etiam mansisse commune. Emergere posse causas ob quas à jure Naturæ recedendum sit, agnoscimus. Tales obvenisse nondum comperimus. Itaque jus naturæ tam diu immutabile, quàm diu non mutatur ratio, quæ facit pro communione maris. *Quam horribilis esset maris communio, ex eo colligi potest, quæ evenisse ante Minori in Græciâ maritimum dominium narrat Thucidides, cum mare nullius usus redditum fuisset à piratis.* Hic ipse *Burgus* pro nobis respondet, à piratis omnem maris usum ademptum fuisse: an ergò maris usus communis erat, quem Minos sustulit. Fateri si cogitur, semet damnat: negare impossibile.

NOTÆ AD CAPUT XII.

Maris Dominium non officere Libertati Commerciorum; & posse præscribi.

SIc Burgus. *Libertatem*, inquiunt, *commerciorum, jure gentium Sacrosanctam, tollit Dominium maris, & in servitutem redigit. Non dominum maris arguunt, sed piratas. Dominus namque maris, non modò libertatem commer-*

ciorum non tollit, sed illam adauget, illud à prædonibus reddens securum. Si tale Dominium tueri velit, quod maris libertatem conservat, quale Romanorum fuisse constat; nulla nobis erit controversia. *Quòd*, inquit, *navigationem omnem interdicat, non magis faciet injuriam dominus maris, quàm si per vias publicas in suâ ditione iter denegaret.* Hoc pernegamus. Quis negare possit, caussas esse posse, cur exteri ingressu terræ arceantur? Exploratores puta si sint, si quid suspecti, observandi, si è loco pestifero advenæ, si contagium serpens timeatur? nullus soli dominus quaslibet merces admittere tenetur, aut sinere quaslibet exportari. Sed nihil horum timeri potest in pernavigabilibus. Nam quoad eos qui portus intrant, alia est ratio. Porticum suorum quisque, ut & viarum publicarum dominus quisque est: & continentur publico sub nomine, & sunt dominii propriè dicti. Id verò in mari cum sit juris communis, nequaquam verò publici, non agnoscimus. Ait porrò: *Vt itaque non officiunt libertati Commerciorum vectigalia, quæ terrestribus itineribus imponuntur, ita neque ea, quæ navigationi imponentur, officient.* Verissimè vectigalia, quæ terrestribus itineribus imponuntur, officiunt libertati commerciorum. Imò & quæ fluminibus. Non est ut ei assentiamur. Ea ponit, quæ nec alicui, qui quodcumque se maris Dominium habere contendit, venit

venit vel in mentem. Vult ejus, qui Dominium maris habet, esse in potestate, ut à præternavigantibus exigat vectigal. Ita qui ex Hollandiâ Genuam petituri sunt, vectigal solvant Comiti Flandriæ, Regi Angliæ, Regi Galliæ, Regi Hispaniæ, Principibus Africæ, & Regi Fessæ, Marrocano, Tunetano: Ita tempore famis, si frumento Genua indigeret, intelligeret, etiam mari clauso occlusa esse horrea. Etsi non sit quod de hoc sibi timeat, cum nemo eorum quos huc usque recensui, hactenus sit repertus, qui hæc sibi deberi vectigalia dixerit. Solus *Burgus* eâ est in sententiâ. Quod magis mirere, persuadere nobis conatur, hæc libertati commerciorum officere non posse. Incrustaturus sua, *Libertas*, inquit, *commerciorum cum delectu admittenda est: cavendum ne quid Respub. inde capiat detrimenti, ne suis moribus nostros corrumpat:* Damus hoc, sed potuisset sibi ab istis temperare: facit indoles in bonas spes enutrita, ut sequiora non sint prætimenda: Habent hoc commoda, ut suis incommodis pensentur, ea vitare prudentis est; non admittere etiam viri boni, Syrum Orontem jam pridem in Tyberim defluxisse: Prætextatos mores Artaxata referre, querela est non hujus sæculi. Actum non ago, omitto quod dicit, visitari solitas prætervigantium naves. Sufficit metum fuisse, ne deferrent illicita. Quòd Indiis Hispanos interdicere appulsuros geminet,

Bellica tempora si quid tangit, factum plus satis: inducíarum non est nisi sequestra pax, & pro convento partium. Miror verò eò venire Nostrum, ut in dubium vocet, an non & rectè negaturus sit, commerciorum libertatem, esse juris gentium? Quid sit juris gentium, exsequar speciali meo super hoc tractatu. Nunc dixero nulli contradicendus, maximæ gentium parti hoc juris esse. Non negare me, ut exempli ergo, in Occidentali Indiâ, gentes inhospitales reperiri, carnivoras Læstrigones, quibus hoc cum priscis Britannis genuinum, ut viscera in viscere condant, congesto humano corpore avidum corpus suffarciant, dapes has habeant Attalicas: At scio hæc non objicenda à *Burgo*, nec & nobis, nisi & humanitatis quidquid est ablegatum, simulque & exterminatũ voluisse sumus dicendi. Pergit. Ajunt: *præscriptionem merè juris esse civilis. An non inter eos, qui legibus Romanis utuntur, mare præscribi potest? An non inter alios, consuetudine? Imò mare præscribi posse, jurisconsultorum est sententia. p. l. Sanè si mare ff. de injur.* Scias *Burge*. Inter eos qui jure Romano utuntur, non est ea communio juris civilis, ut confestim ea quæ merè civilia sunt, evadant juris communis. Exemplum damus; In Galliâ hoc est juris, ut inter hæredes, si quid in diversis morentur territoriis, ob contimentiam causſæ protinus omnes ad supremam curiam ritè evocentur. Idem

Idem in Germaniâ est juris. Ergone, *Burge*, cum eodem jure utantur Germani, evocari poterunt ad illam Curiam? Absurdum hoc vel nolentem te fateri numquid adigat, jus Civile quod in Galliâ obtinet, jus Civile Germaniæ dici non posse? neque quid referre, quòd ea sibi ad amussim conveniant, respondeant? Quod attinet ad *d. l. Sanè si maris*; dixit lex, fieri posse, ut ad aliquem pertinere possit proprium maris jus: at non dicit, ipsa id posse, si quid præscripserit: est altissimum de quâcumque præscriptione silentium, cujus nec in d. l. apparet vel vestigium. Explicat se lex: facti possibilitatem exponit oculis usurpandam: Si molem in mare projecerit: si mari inædificaverit: Si mare aggeribus clauserit: si clauserit ad modum, aut in formam vivarii. Imò agnoscimus quoque præscribi posse, cum privilegio ad remoras piscatorias dato, id simus edocti. Sed ut Resp. quæ sui juris est, ut Princeps nulli subditus, alias adversùm gentes quid sibi præscribat, nõ est ut dicatur. Consueta, si quà pote, transmittantur: circa hæc subsistere lubet: quanquam non est, ut non datâ possessione, quæcumque demũ præscriptio, quæcumque demum consuetudo, vel nominentur. Ac nec simplex in causſam satis possessio: opus tali fuerit detentione, quæ in manifestarios actus deducta, citra intercalationem procusa, semet tueatur, nullum sui dubium reli-

relictura vel cuipiam. Qualem detentionem istis (quos lex, quosq; nos ex lege) pro casibus haberi privatim posse, ultrò fatemur. Posse & exerceri: in obtinentes esse suum à jure civili ipsis præsidium item fatemur. Quis Reip. Genuensi eo nomine litẽ intentet, ea si exerceat sui juris retinendi, amittendi domina, quæ ex quo jure (ut visum) suo exercere, ex quo occeptavit, exercere itidem nec intermisit, nec ut intermitteret, fuit coacta. Cæterum, si eat ad non solita, si pertendat ad nunquam exactorum, nunquam solutorum vectigalium illicitas libertati Gentium, jurique meritissimo exosas flagitationes; non erit quod miretur opponi eos sibi, quibus non sit infra servos ingenium. Ait Heros: *Cum concedant potuisse inter aliquos populos de dominio maris convenire, ostenderimusque inter plurimos convenisse, intelligitur maris jam introducta proprietas.* De dominio, quale fuit sub Imperio Romanorum, de facili conceditur. Id est, salvâ libertate naturali: neque aliter conventum fuisse, probatum est. Quòd si tamen inter duas gentes ita conventum, (quod nondum vidimus;) An unius Gentis concessione, Jus Gentium immutari potest? Id nemo sanus. Non potest ulla gens, Princeps, jus quod non habeat, ulli conferre.

NOTÆ

NOTÆ AD CAPUT XIII.

Confutantur Testimonia Poëtarum ab Adversariis allata.

EX Plauto. *Mare quidem commune certè est omnibus:* & postea; *Ubi dimisi rete atque hamum, quidquid hæsit, extraho mecum, quod rete atque hami mei nacti sunt, meum potissimum est. Haud aliâ sanè exceptione hanc actionem elideret. Aliter nos: Mare quidem commune est omnibus, sed quod meæ tutantur classes, quod meis impendiis purgavi, à piratis securum: utileque navigationi reddidi, id meum est.* Replico: Cum Minos ob Justitiam creditus sit umbrarum Judex fuisse constitutus, non jure illum à *Burgo* introduci tanquam iniqua & injusta judicantem. An qui latrones abegit, terræ sibi tribuet dominium? Quid inter hunc, inter latronem, discriminis? Auferat quæ volet, quà valet latro, terræ domininm suo hero manet. Bellè verò, ut & piratis immanior nunc Minos traducatur: toto mari omnibus quippe erepto, cum piratæ non extenderint, avidas & vel eo nomine diris devotas manus, nisi ad mercimoniorum, navigiorum nonnulla! *Burgo*, Plautus nullius in foro est authoritatis, at quid hic? non hæc Plautus, sed vox populi, dicta vel & Dei, ob simplicis veri ingenuam professionem com-

muni suffragio transmissam, habendam pro sincerâ. Demus autoritate destitui, at non ideò habendus pro inepto, & diversa ab iis, quæ rebus, quæ occasionibus, pro re natâ consona sint, dicta volente. Ubi hæc dicta? Romæ, apud rerum terrâ marique potiores: Insigni argumento, jurisdictionis quoq; fuisse Dominium maris, sed naturali communione, non jugulatâ. *Virgilii* illud: *Imperium Oceano, famam qui terminet astris*, perversè carpere mihi videtur. Assignat Cæsaris imperio limitem Oceanum: neque enim quid Poëta noverat, ultra quod suo Cæsari assignare posset. Redigamus in gyrum. Oceanus limes est imperii, necesse est ab imperio ut exemptum sit, quidquid ultrâ imperii limitem exporrigitur. Ad hoc ejusdem: *Littusque rogamus innocuum, & cunctis undamque auramque patentem*: reponit Noster, agnosci dominium littoris, dum suppliciter rogatur id à dominum fatentibus. Minùs rectè. Nam sic & usus rei communis, puta cœli, solis, aëris, denegari jus fuisse agnovissent: Non eam fuisse mentem, pervincunt illa:

Quod genus hoc hominum! quæve hunc tam barbara morem
Permittit Patria! hospitio prohibemur arenæ.

Carpit & Ovidiana, supra à nobis allata ex ore gemelliparæ: Occursurus Noster, *non juris ibi*, vult, *sed charitatis fuisse quæstionem.* Errat. Imò Juris. Charitas beneficii

cii est; non afficit beneficio, qui aquâ non interdicit. Haustulum aquæ qui petit, quid tandem beneficii petit? Petit Diva, non ut detur, sed ut ne negetur: negantibus oggerit, injustos esse, quod negent. *At*, inquit, *lacus in proprietate esse potest*: Agnosco; Haustus tamen aquæ remanserit communis, non minùs quàm cõmune sit, in domo alterius respirare. At si aliquis illius communionis in lacu, qui communis, qui proprius esse potest usus; quàntò id magis esse debet in mari, cujus nulla cuiquam dominio proprietas. Malè & hoc vellicat; *Omne solum forti patria est, ut piscibus æquor*: ideò ut appareat, mari nullos limites præstitutos esse, id dictum: Mare dominiis non distinctis totum piscium esse: terrâ secus se rem habere. Sapientem tamen pisces imitari, ubicumque domi se esse secum reputare. Veniamus ad id quod validissimum velit. *Audiant*, inquit, *principem Poëtarum Homerum, qui Neptunum dicentem facit, cœlum, mare, & infernum, divisa esse; terram communem mansisse*: *Ergo vel à Poëtis abstineant, vel hæc Homeri admittant.* Terra, dico, inter Jovem, Neptunum, Plutonem, communis mansit, non inter filios hominum. Certè iniquè agit cum Poëtis, qui jam ante illos adduxit pro se. Ingenuè acturis, dantes commune omnium hominum testimonium audimus Poëtas, cum id sequi semper soleant.

NOTÆ AD CAPUT XIV.

Jurisconsultorum & Imperatorum Responsa.

EXordimur cum nostro: *Quæ jurisconsultorum, ait, sunt tanquam eorum opiniones, usu abrogatæ possint censeri ex iis quæ supra attulimus, cum tot populos in usu habuisse Maritimum Dominium demonstravimus.* Mirum, si ea quæ attulit, non sunt multis sæculis antiquiora, puta, sub imperio Græcorum: mirũ si antiquare potuerint Responsa jurisconsultorũ sub Imperio Rom: cũ nec essent. *Nec*, ita ipse, *omnes hi faciunt commune omnium hominum mare, sed plerique publicum.* Ut de veritate constet, ipsa ut utcumque suis subinde locis adgesta, ponemus Responsa, ac junctim quidem; quod ut ne tœdio sit, aut vitio ut nobis, tanquam eadem repetentibus, ne vertatur, oramus quàm enixissimè. Cujus & vel absque aliâ deprecandi necessitate summa ratio, quò ritè rectèque ponderemus, quibus sese exceptionibus Noster tueatur. Sic Justiniamus Imp. Inst. de Rer. divis. §. 1 *Et quidem naturali jure communia sunt omnium hæc: aër, aqua profluens, & mare, & per hoc, littus maris. Nemo igitur ad littus maris accedere prohibetur, dum tamen à villis, & monumentis, & ædificiis abstineat: Quia non sunt juris gen-*

gentium, sicut est mare. § 2. *Flumina item omnia, & portus, publica sunt.* Ibid. § 5. *Littorum quoque usus publicus est, & juris gentium, sicut & ipsius maris.* Et post aliqua. *Proprietas autem eorum potest intelligi nullius esse, sed ejusdem juris esse, cujus est mare, & quæ subjacet mari, terra, vel arena.* Ibid. § 18. *Item lapilli & gemmæ &c. quæ in littore maris inveniuntur, jure naturali statim inventoris fiunt.* Marcian. in l. 2. *ff.* de D. R. *Quædam naturali jure communia sunt omnium, quædam universitatis, quædam nullius, pleraque singulorum.* § 1. *Et quidem naturali jure omnium communia sunt illa; aër, aqua profluens, & mare; & per hoc, littora maris.* Idem in l. 5. Eod. *Nemo igitur ad littus maris accedere prohibetur piscandi caussâ, dum tamen & villis, & ædificiis & monumentis abstineatur: quia non sunt juris gentium, sicut & mare. Idque Divus Pius piscatoribus Formianis & Capenatis rescripsit.* § 10. *Sed flumina penè omnia, & portus, publica sunt.* l. 5. § 1. *In mari piscantibus liberum est casam ponere in littore, in quâ se recipiant.* l. 10. *ff.* Eod. Aristo. ait. *Sicut id quod in mari ædificatum est, fieret privatum: ita quod in mari occupatum sit, fieri publicum.* Ulpian. in l. 2. *ff.* nequid in loco pub. *Adversus eum qui molem in mare projicit, interdictum utile competit, si cui fortè hæc res nocitura est.* § 9. *Si quis in mari piscari aut navigare prohibeatur: non habebit interdictum: Quemadmodum nec is, qui in campo publico ludere, vel in balneo publico lavare, aut in theatro spectare arceatur,*

sed in omnibus his casibus, actione injuriarum utendum est. Id. in l. Injuriarum §. 7. *ff.* de Injur. *Si quis me prohibet piscari in mari, vel everriculum* (quod Græci σαγήνην) *ducere, an in injuriarum judicio possum eum convenire? Sunt qui putent injuriarum me posse agere, & ita* Pomponius, *ut plerique esse huic similem eum, qui in publico lavare, vel in caveâ publicâ sedere, vel in quo alio loco agere, sedere, conversari, non patiatur: aut si quis re meâ me uti non permittat. Nam & hîc injuriarum conveniri potest. Conductori autem interdictum veteres dederunt, si fortè publicè hoc condixit. Nam vis ei prohibenda est, quò minùs suâ conductione fruatur. Si quem tamen ante ædes meas vel ante prætorium meum piscari prohibeam, quid dicendum est, me injuriarum teneri, an non? Et quidem mare commune omnium est, & littora, sicuti & aër, & est sæpissimè rescriptum, non posse quem piscatu prohiberi, sed nec aucupari, nisi quod alienum quis agrum ingredi prohiberi possit. Usurpatum tamen & hoc est, etiamsi nullo jure, ut quis prohiberi possit ante ædes vel ante meũ prætorium piscari: quare si quis prohibeatur, adhuc injuriarum agi potest.* Paulus in l. 14. *ff.* Eod. *Sanè si maris proprium jus ad aliquem pertineat, Uti Possidet is, interdictum ei competit, si prohibetur jus suum exercere, quoniam ad privatam jam causam pertinet, non ad publicam, hæc res: ut pote cum de jure fruendo agatur, quod ex privatâ caussâ contingat, non ex publicâ. Ad privatas enim causssas accommodata sunt interdicta, non ad publicas.* Celsus in l. Littora *ff.* Nequid in loc. pub. *Littora, in*

in quæ Populus Romanus imperium habuit, Populi Romani esse arbitror. § 1. *Maris usum communem omnibus hominibus, ut aëris, jactasque in id pilas, ejus esse qui jecerit: Sed id concedendum non esse, si deterior littoris marisve usus eo modo futurus est.* Scævola in l. seq. *In littore jure gentium ædificare licere, nisi usus publicus impediret.* Ulpian. in l. Venditor. 13. *ff.* Com. prædiorum. *Venditor fundi Geminiani, fundo Botrojano quem retinebat, legem dederat ne contra eum piscatio thynnaria exerceretur. Quamvis mari, quod naturâ omnibus commune patet, servitus imponi privatâ lege non possit: quia tamen bonâ fide contractus, legem servari venditionis exposcit, personæ possidentium, aut, in jus eorum succedentium, per stipulationis vel venditionis legem obligantur. Audiamus ad hæc respondentem* Burgum. Primò dicit, *Mare statui in eâ communione quâ littora: ut certissimum est hæc non communia esse, sed publica, ita mare quoque non commune esse, sed publicum.* Replico. Fieri potest, ut hodie littora habeantur juris publici; sed ipso Sole meridiano clarius est, in jure civili littora non censeri inter ea quæ publica sunt, sed quæ communia; utpote quæ sint juris gentium: Patet hoc & *loco* §. 1. *Institutionum de Rerum. divisione*: ubi distinctè prius de iis quæ gentium jure communia sunt agitur: tum opponit his, ea quæ publica: dicens §. 2. *Flumina autem omnia, & portus, publica sunt.* Quod si marè & littora maris publicis accenseantur; se-

qua-

quatur etiam aërem non esse juris communis, sed publici. Imò, frustra distinctionem inter commune & inter publicum fuisse positam, cum nullum exemplum rerum communium, aut quæ juris gentium sint, reperiri possit, si quidem aër non & littori maris accensetur. Accedit quòd ea, quæ littori inædificata sunt, non dicantur esse juris gentium, sicut est mare. Itaque si vel dictum non fuisset, juris communis esse, suffecerit dixisse, juris gentium esse. Tantundem à Martiano *in l. 2. & l. 5. ff. de Rer. div.* dicitur. Puta, oppositionem fieri eorum quæ communia & juris gentium sint, ad ea quæ publica sint: illis accenseri littora & aërem. De mari & littoribus idem testatur Ulpianus *in l. injuriarum § 7. ff. de injur.* commune esse omnium, & littora, sicuti aër, & ita sæpissimè esse rescriptum. Solus Celsus videtur æstimare, aliud esse jus littorum, aliud maris; cum dicit, *Littora in quæ Populus Romanus imperium habet, populi Romani esse arbitor. Maris communem usum omnibus hominibus, ut aëris.* Itaque licet de littore videatur aliud arbitrari, de mari tamen idem asserit quod reliqui Jurisconsulti. Quæ cum sint planissima, admiror *Burgum* dicentem, *Solus Celsus ait littora esse Pop. Romani: at maris usum communem omnibus hominibus: qui ut solus, non diluit tot aliorum testimonia, præsertim cum ab ipso Justiniano confutetur.* Hactenus verum dicit, sed non

non in hoc dissentit ab aliis, quod mare omnibus commune dicit, sed in hoc ei cum cæteris apprimè convenit. Ferat se ipsum hic Judicem. *Burgus.* Secundò, illa Ulpiani in d. l. Venditor. *Mari quod naturâ omnibus patet, privatâ lege servitus imponi non potest.* Hoc alibi declarat: *Mare commune omnium est, & littora, quæ certissimum est publica esse, ipsum publicum facit, non commune, ideo omnibus è populo patere asseverat.* Ecce argumentum *Burgi.* Ulpianus facit mare publicum, nam dicit, *mare commune omnium est*: Ergo secundùm illum, non est commune, sed publicum. Exagitare quippiam nolenti, ipsa protulisse verba suffecerit. Dicat ipse *Burgus*, quâ sui fiduciâ verba *id quod natura omnibus patet*, non nisi ad solum populum, & populicum ex populico publicum abrogato communionis jure, velit restrictum. Quis unquam (Juris-Consultos taceamus) mortalium, præter unum *Burgum*, de iis quæ publica sunt, sic est loquutus, ut dixerit, id quod uni populo publicum est, naturâ omnibus patere. Quid hîc naturæ vox, quid omnibus exposita, patentia, restringuntur, ad unum populum? ad unius populi jus, pro ipsomet solo, ac quidem ut populo, publicum arctantur? Candidè agentibus, possent transmitti: si quid vox illa *Naturâ*, non fuisset addita. Sed neque nobis hic lubet esse morosis, ut ut vel abessent omnia. Expedit hæc noster Imperator,

Inst. de R.D. § 1. cum quæ jure naturali omnium communia sunt, ob oculos posita enumerat. Scire velim: An quæ populo, huic, illi, sunt communia, putemus, loca publica, sunt protinus communia Jure Naturæ? Næ igitur deliret, & vel insaniat Marcianus, qui nobis quædam obtrudit communia jure universitatis. Quis hìc non agnoscat oppositа, adversis frontibus sibi pugnantia? Quæ naturam, quæ universitatem pari statione locent, erunt jura communionis, minimò minùs quàm si quidmet ipsa rerum natura decessisset in ditionem non hujus vel illius universitatis, sed omninm, quotquot toto orbe Terrarum reperiuntur, dum modò insanire libeat, & dum sibi, id est, universitati, cui velificari student, strenuè adsint, quidquid juris, dominii, potestatis naturalis est, splendidè calcent. Tertiò. *Hoc idem declaravit Aristo, publicum faciens quod mare occupavit, non commune.* Dico contra. Patet ex verbis Aristonis mare non esse publicum, sed commune. Id quod est publicum, occupando non fit privatum. Atqui in mari, unicuique privato occupare licet quidquid potest: & quà potest, & quà primus, quà occupans, quà non deturbandus, non arcendus. Sed captat hìc noster verba: id urget, publicum fieri, quod sit occupatum mari. Demus & publici & communionis, ut voces, sic & jura confundi posse, prout *Burgus* contendit, nihil egerit.

Hoc

Hoc loco videat privatum opponi publico, non publicum communi, nedum ut aut ἰσοδυναμοῦντα sint publicum & commune, nedum ut mixta, indiscreta, confusa. Stemus in vestigio. Ita dixerat. Si privatus ædificando in mari partem aliquam maris occupaverit, fit hoc privatum: ita si mare privati alicujus fundum occupaverit, sic superinfuso mari occupatus, dèpressus fundus, sit publicus ex privato. Erat hic sanè *Burgo*, candidus si quidē esse volebat, observāda ipsius oppositionis inter se exacta concinnitas. Inspiciamus rē penitius. Detur privatorum aliquot latifundia mare superadobruisse, res ipsa feret, non illa esse eo loco ut omnibus accedant superadobruta: ut sic derūcinata privatis, etiam universitati, cujus partem privati isti constituant, deruncinentur. Nullus hucusque dixit, nihil omninò maris, parte saltem tenus, esse publicum. Littoris duntaxat examinetur definitio. Quid portus, quid navium stationes loquar? nemo in iis quantamcunq; maris partem non agnoscat. Quid! quod & ipsa natura sæpe sinuum nonnullos ad instar portuum velut effigiare gestiat? at quales hi? suntne communes? desinuntne esse publici? Curatissima duo exempla Virgilius suppeditabit. Sic ipse de Tenedo *lib.* 2. *Æn*:

Est in conspectu Tenedos, notissima fama
Insula, dives opum, Priami dum regna manebant.

Dd 2 Nunc

Nunc portus tantum & ſtatio malè fida carinis.
Huc ſe provecti deſerto in littore condunt.

Produnt hæc Inſulam, mare, portum, ſtationem, littus, deſertum; at cujus Juris? communiſne? nihil minùs. Quid Tenedos? Τένεδος, ſolum Tenni: nimirum qui Inſulæ iſtius fuerit dominus. Durat etiamnum ipsâ in Helleſponto, durat nomen. Meierus doctis ſuis ad Virgilium notis, obſervat & Stennam dici, ab anguſtiis Helleſpontiacis. Item jam ante *Lib.* 1.

Eſt in ſeceſſu longo locus, inſula portum
Efficit, objectu laterum, quibus omnis ab alto
Frangitur, inque ſinus ſcindit ſeſe unda reductos.

Et hic Inſulas, & hic portus, objectu laterum tutus, undæ fractæ, in ſinus reductos ſciſſæ, dominii privati tamen, Nympharum domus:

feſſas non vincula naves
Ulla tenent, unco non alligat ancbora morſu.

Cur? quia in ſeceſſu: quia efformante naturâ: quia in vaſtum mari nullo excurſu, dum ſtat intra ſeceſſum, intra illos ſcopulos:

Quorum ſub vertice latè
Æquora tuta ſilent.

Quin tamen & ea ſit publici juris? audiamus Poëtam:

Huc ſeptem Æneas lectis cum navibus, omni
Ex numero ſubit.

Et

Et ſale tabentes artus in littore ponit.
Egreſſi optatâ potiuntur Troes arenâ.

Sed ad propriora, ac vel Liguſtica. Sciat *Burgus*, multos maritimos ſinus eſſe inſtar portuum: appulſus ſecuritatem navibus præbere. Notæ voces, *Baya*, *Rade*. In Genuenſi littore *portus Veneris*, quid niſi ab ipſa naturâ nomen invenit? neque enim portus ille, ſed reverâ ſinus eſt maris. Nunquam ego, aut ullus mecum, inficias eat, jure fieri, ſi quid tales ſinus habeantur juris publici. Nemo ſit, qui non & meliore hoc fieri dicturus ſit ratione. Quid ſi nonnulla fundi Italici prædia mare occupaverit? Habitura ſciunt omnes ſic occupata, non inſtar aliquod maris alicujus, ſed lacus: quos & ſciant jure naturæ communes non eſſe, ſed eodem jure haberi, quo habeantur flumina. Fidentiùs hæc à me, utpote Batavo, dicantur. Non eſt in noſtrâ Batavià infrequens iſtiuſmodi rerum immutatio. Vidimus in Boreali tractu Hollandiæ, laciniam non exiguam devoranti mari ceſſiſſe. Si cenſitoris vice fungi mare poſſet, ſi inundatis, ut vel præſcripto pignori, incumbere, quin hypothecæ veriùs, perierint novem & quod excurrit millium jugera. Nunquam tamen adeo ab humanitate averſa Batavi pectora aut geſtavimus, aut geſtamus, ut ea jure gentium communia facta credideimus. Quin imò nec publica. Mihimet ipſi, ut Rerum

Bataviæ Comitatensium Cognitori, hæc dum scribo, ad manum sunt plurima, quibus sua privati, privatim sibi debita, ac sui jure, complurimi asserere, velut postliminiò, in latefundiis Cypanis contendunt: super quibus nulla quæstio, sintne facta publici juris, quod vel defendere abnuam, sed numquid sint fisci habita pro derelicto, impensis Comitatensibus mari subducta.

Neminem esse puto, qui non agnoscat, ea quæ à mari occupantur, non fieri ejus naturæ, cujus est mare: sed terram quasi captivam teneri, posse autem ad pristinum statum reverti postliminiò. Frustra itaque totum mare istius conditionis esse volimus, cujus erit, si quid à mari occupatum fuerit. Quartò, *Justinianus eodem jure mare censet, quo aquam profluentem, quæ est publica.* At ex quo jam probatur aquam profluentem esse publicam? nullo verbo: nullà alicujus Glossarii allegatione: mirum ni quid credat sibi quidvis pro libitu dicere licere? Fortè aquam profluentem pro flumine habet. Et tamen vidit, aquam profluentem semper cum aëre conjungi, & aliam esse à flumine, quod juris publici esse dicitur; non sicut aër, qui nunquam publicus dicitur. Aqua vero profluens, sicut aër, naturali jure communis omnium hominum dicitur. Quòd si res aliter nobis appareret, non ad nostram opinionem verba clarissima torquenda erant, ut Jurisconsul-

tos contra testatissima ipsorum verba sic sentire velimus, ut nos sentimus. Et quidem rectè examinanti rem, facilè apparebit, aliud esse aquam profluentem, aliud flumen. Fluminis partes integrantes sunt, alveus, ripa, aqua, ut est navigabilis: secundùm has partes, flumina sunt juris publici: non secundùm omnes partes: Nam primùm, fontes sunt partes fluminis, tum exundatio in mare. At certè, ut Nilus sub imperio Romano, sic & fontes Nili incogniti fuere. Exundatio item fluminis mare est: non alveùs hîc, non ripæ. Aqua profluens dici flumen potest, ut est aqua: verè enim ut aër, & aqua communis est jure gentium. Neque tamen omnis aqua, sed illa quæ in mare profluit, aut omnino ad mare vergit, ut peritura sit, cum salsedinem induerit. Ab hujus potu quemquam arcere velle, Natura vetat, non minùs quàm aërem respirando trahamus. Et hæc ea demum caussa est, cur cum aër & aqua profluens numerẽtur inter ea quæ jure naturæ communia esse dicuntur. Alterum adhuc Nostri argumentum: *Justinianus de mari agit sub titulo eorum quæ publica sunt, in l. 2. & 3. ff. Ne quid in loco pub.* Regero. In d. l. 2. §. 8. dicitur adversùs eum, qui molem in mare projecit. Si cui hæc res nocitura sit, interdictum utile competit. At verò respondeat *Burgus*, cur non potius dicendum sit ei directum interdictum competere? Lo-

quator interdictum. *Ne quid in loco publico facias, in eumve locum immittas, quâ ex re quid ulli damnum detur: de eo quod factum erit, interdictum dabo.* Apparet hinc, cur tantum utile & non directum interdictum detur, causſam eſſe, quod mare non ſit locus publicus, ſed communis jure gentium. Itaque ex hâc L. ingens argumentum pro nobis reſultat. Quod jam §. 9. ſequitur, *Si quis in mari piſcari aut navigare prohibuerit, non habebit interdictum.* Intellige utile, ut §. præcedenti dixerat. Lex verò 3. §. 1. *Communem omnibus maris uſum, ut aëris.* Quis credat aliquem hinc audere concludere, eſſe juris publici? At, inquit, dicuntur hæc ſub Titulo, *Ne quid in loco pub.* An mirum, ſi in iſto Titulo etiam de locis dicatur, qui pro publicis non ſint habendi? maximè dixiſſet: *Litora populi Romani eſſe arbitror*, ſi ſubjungat, *maris verò uſum omnibus eſſe communem*, ibi iterum ſubaudiri debet illud quod præceſſit, *arbitror*: aut certè nulla eſſet conſtructio. Itaque ſub unâ periodo dicit, *Littora populi Romani, maris verò uſum omnibus communem eſſe arbitror.* At *Burgo* noſtro & Juſtinianus §. Littora Inſtit. de R. D. dicit, *Littorum quoque uſus publicus eſt, & juris gentium, ſicut & ipſius eſt maris.* An Juſtinianum ſibimet ipſi contradicere credendum eſt, qui §. 1. dixit: *Naturali jure communia ſunt hæc, aër, aqua profluens, mare, & per hoc littora maris*: & poſtea, *quia ſunt juris gentium.* Eſt itaque mens

mens Juſtiniani dicere, non littora, ſed uſum littorum liberum eſſe ex parte, & ex parte communem. Caſas enim & domicilia in littore exſtruere, remoras piſcatorias habere, ad uſum publicum pertinet: navibus appellere, juris gentium eſt: alioqui nemo contradictoria diceret, uſus publicus eſt, & eſt juris gentium. Equidem, ſi quid diceret, Jure Gentium publicas eſſe, poſſet hoc ſubſiſtere. Sed inſimul & publicum eſſe, & eſſe juris gentium, ſunt contradictoria. Quod jam ſequitur, *Sicut & ipſius maris* (ſubaudi uſus) *Juris Gentium eſt.* Sequitur: *Proprietas autem eorum poteſt intelligi nullius eſſe, ſed ejuſdem juris eſſe, cujus & mare.* Aliud non contendimus, quàm ut his pauciſſimis verbis tota dirimatur controverſia. Quid autem evidentius, quam ea quæ publica ſunt, non dici, *eſſe nullius?* Sunt in bonis Reipub. ideoque initio tituli præmittitur; *Quædam naturali jure communia eſſe omnium, quædam univerſitatis, quædam publica, quædam nullius, pleraque ſingulorum.* De his ſingulatim tractat: referens, quæ naturali jure ſint omnibus communia: in his refertur aër, aqua profluens, mare, & per hæc littora maris. Sequuntur publica. *Flumina autem omnia & portus publica ſunt*: ad publica item referens littorum quoque uſum. Inter ea quæ *nullius* ſunt, proprietas littorum & maris ponuntur. Uſus ergo littorum duplex, communis unus, alter publicus.

blicus. Maris usus communis : proprietas utrimque nullius. Hæc tam clara sunt, tam manifesta, ut nullâ explicatione magis exclarescere possint. Totus credo, itidem mecum hìc *Burgum* sentire, hæc ipsa dum tam tractat perfunctoriè, quàm qui ferrum candens manibus contrectant. At enimverò aliam sese reperisse rimam putat ; & circa hoc longiusculè moratur. *Communia*, ait, *majoris sint communitatis, quàm publica : hæc enim solis hominibus patent ad usum, illa etiam cæteris animalibus : Unde haud propriè diceretur mare, aërem, aquam profluentem, esse publica : cùm non hominibus solùm, sed & cæteris pateant animalibus : sic evenit ut commune & publicũ sint idem : neque differant, nisi per quandam accidentem diversitatem.* Itaque nobis persuadere conatur *Burgus*, cum jurisconsulti de rerum divisione tractant, assignare etiam animantibus partem suam : & eadem suo jure uti ; & sub voce *omnium*, de hominibus tantùm agi. Sed quomodò conciliabit ipsamet animantia, quibus jus suum, utique portionem aliquam juris sui, accommodatum it, esse in dominatu hominum : ideòque cum hominibus nihil dividere, nihil decidere. Quomodò, quòd mare non solum juris naturalis, sed etiam gentium dicitur. Num & gentes equorum, taurorum, ovium, introduceret? Sed demus, cur hæ gentes communionem maris magis habeant, quàm fluminum ? hæc siquidem potum illis sub-

subministrant, non mare. An jus navigandi illis commune dicet, an jus piscandi. Certè alius usus maris est nullus. *Quædam dicuntur nullius esse, quæ tamen primò occupantis fiunt l. Venditor. ff. Comm. præd. Quare si Princeps, præter jurisdictionem etiam proprietatem & usum sibi occupaverit, mare non amplius nullius dici poterit.* Qui in mari ædificaverit, occupando suum facit : *ut in l. Venditor.* Aliam occupationem, nisi quæ formam rei mutet, non agnosco. *At est mare commune omnium : littora etiam communia esse dicuntur : illorum tamen communio ad illum tantum populum spectat, qui ea occuparit : cur & maris communio ad illum solum populum, qui illud occupaverit : non applicabitur?* Responsum in parato est. Littus aliquo respectu commune est, puta, appellendi jure. Non hoc ad aliquem populum applicatur, sed ad omnes populos. Usus quoque littoris publicus dicitur, non communis, puta, casas in eo exstruendi. &c. Ita littoris usus ex parte publicus est. Quod si totum mare eodem modo occupetur, quo usus littoris, idem juris erit. Nunc videamus, laborentne nostra, quæ tuemur, aliquo præjudicio. *Burgum* si audimus, omninò laborant. Sic ille. *Jurisconsultorum opinio Imperiali sanctione, tanquam iniqua & hæretica, damnata est, per constit. Leonis* 56. Ad hanc constitutionem supra responsum est. Breviter dico, in maritimis prædiis hoc iniquum censeri, si dominus prædii

piscari volentes apud oras suas prohibeat: ut injuriarum actione teneretur: statuiturque, ut sicuti terrenis locis juris est, ut quisquecumque domus dominus sit, is præter illius usum, vestibulum quoque atque atrium possideat; ita etiam in maritimis obtineat. Itaque concedendum est, tantùm juris in proximum mare habere dominum maritimi prædii, quantùm in terrenis locis dominus domus, cui & vestibulum & atrium cedere debeat. Quid autem hoc ad jus navigandi? Satis cavebunt naves littora, ut prædia maritima, nisi naufragio veniisse volent. Itaque constitutio hæc Leonis, in iis, quæ non mutantur, confirmat & ratum facit, quidquid extra hoc constitutum in jure de mari & littoribus reperitur. Ut dici, *Exceptio firmat regulam in casibus non exceptis.*

Restat. l. Ἀξίωσις. 9. *ff. de lege Rhodiâ.* Ubi Antoninus legitur rescripsisse, *Ego quidem mundi dominus, lex autem maris.* Multis hæc ad præstantissimum *Seldenum* me exsequutum, teneo memoriâ. Non repetam: sicco quoque pede Criticorum ex Geographiâ contentiones pertransibo. *Burgus* censet illa ὁδὲ νόμος τῆς θαλάσσης, legenda esse ὁδὲ γόμος, ut ad merces referatur. Credo quod Criticus haberi velit. At si ipsi hoc commentum hoc processerit, otiosa erunt illa: *Ego quidem mundi dominus.* Ad sequentia hoc non respondeat. Imprimis par-

particula (quidem) μὲν exigit, ut ei respondeat particula (verò, δὲ.) Itaque præterquam quod scriptura mutanda non sit, nisi necessitas urgeat; hic etiam necessitas est non mutandi. Accedat quod Antoninus omnium Imperatorum modestissimus, cur se mundi totius dominum ferre velit, nulla possit assignari causa, quæ responso illius correspondeat; nisi appareat illud facere ad id quod proponebatur. Sensus ergo hic fuit, ut diceret, sese maris dominum non esse: hoc illius modestiæ conveniebat. Addit verò, *Sed lex est domina maris* (venustiùs textus græcus, *sed lex est dominus maris*) sicut νόμος est masculini generis. Quod hic objicitur, legem subjectam esse Imperatori, cum voluntas Imperatorum pro lege sit; Hoc quidem nos ut ut agnoscamus, modestissimi tamen Imperatorũ non agnoverunt se legibus imperare, professi dignam vocem esse majestate regentis, legibus se allegatum Principem profiteri: ab earum autoritate perdere illam, quæ sit Principis. Itaque non quæritur hoc loco, quousque nam se extenderit aut extendere voluerit potestas Imperatoria, sed quoad usque illius voluntas. Laude sũ tantum Imperatorem deturbant, qui quæ ab ipso modestè dicta sunt & verè, quæ concinnè item & prudenter, detortum eunt in vocem tyrannicam, utcumque quàm bonus Princeps dentium suorum septa nolit per-

rumpere. Quod verò *Burgus* absurdum putat, si quid Princeps dicat, non se, sed legem mari dominari, hanc autem legem rursus Imperatoris dominio subjici, errat. Non hoc dicitur; sed in iis, in quibus nostrarum legem nulla adversatur. Quasi dicat, si qua juris Romani lex est, ea dominatur. hæc si quidem aut non extat, aut casum non tangit, omittit, ignorat: amplectitur jus Romanum, id quod statutum sit lege Rhodiâ? quam hactenus dominam, id est mari jura dantem, agnoscat. Maneat inconcussum, Antoninum dicere voluisse, se non esse dominum maris. At quid fecit? Jus erat dicendum super maritimis controversiis: sibi legem Rhodiam substituit. Uno responso & majestati suæ, & juri, & partibus abundè satisfecit. Atqui lex sic dominatur, ut proprietatem aut dominium propriè dictum non habeat. Ita si de aëre fruendo, aut lumine controversia erit, quæ in nullius bonis sunt, lex dirimat litigantes: non dominium Regis. Quòd si quis in dicto Antonini aliquid reprehendere velit, non tamen negare poterit, dixisse eum, se non esse maris dominum. Cui dicto simillima sunt responsa illa, quæ dicunt, proprietatem maris nullius esse.

NOTÆ

NOTÆ AD CAPUT XIV.

Sacræ Paginæ Oracula, quæ ab Adversariis opponuntur, Dominium Maris non tangere.

BReves hîc esse cogimur: sed & lubenter sumus. Nihil allegat *Burgus* pro se: nihil quòd opinionem nostram convellat. Cùm porrò & illa, quæ juris divini circa maris Dominium sunt, exsecuti simus plus satis, non sit quoque quò nos fatigemus ea excutiendo, quæ suæ soliditati permissa sinit *Burgus*; suæ ea non adversari professus sententiæ. Si quid non maluisset magnos in Simpulo Fluctus ciere, quàm sacram veritati militare militiam; defixisset non modò in vestigio pedem, sed excussisset totum Deum. Hic in opere creationis pro sancto suo beneplacito, sese non à posteriori sic duntaxat devenerandũ exhibuit, ut non & erecturis se ad Ipsum, Ipsum insequi adnixuris mẽtibus, abundè relinqueret, quò se penetrarent penitiùs: vel ad priora, & à priori. Ad illa, quâ par est reverentiâ, conversis, occurrit è vestigio Dei Lex Æterna. Quid! illa, quæras, *à priori?* Perfectissima in se, dicam, pro perfectione suâ, ex quò mundum hunc creare sedit omnium Creatori, in totius illius mundi universi bonum pariter

riter universum agens ordinatio. Hæc ut suppositum mare privatis dominiis voluerit, absit: nedum ut posuerit. Posterius hoc, utique, quod nempe posuerit, nulla nos docent oracula Sacræ Scripturæ. Ordinatio ordinem ponit, omnis ordo Divinus, divinitus Dei, & à Deo. Is privatum maris dominium excludit: utpote juxta & universali generis humani bono pugnaturum, & neque relicturum discrimen ullum inter fas & nefas: tum mox quoque fas atque nefas versum ubi fuerit, horrendis confusionibus omnia involuturum. Hinc ergo, quidquid in Deo incommutabile est (à priori loquimur & habito ad æternam hanc legis æternæ ordinationem reflexu) ubi à posteriori Deum contemplamur, agnoscimus illud ipsum incommutabile, inferiora hæc universi omnia gubernatione longè quam pulcherrimâ admoderari. Dicimus verò hoc ne quidem ipsius Dei moderamen tale futurum fuisse, siquid, & divinitùs, immensum illud & vastum maris corpus omnibus in universalia commoda projectum omnibus sua, quibus se tueantur, commoda abundè suppeditans, nec non & semper, & in omnes usus, expositum fuisset dominatui, lubidini, tyrannidi privatorum. Servat ordinem naturæ æterna in Deo Lex: temerari, turbari vetat, nedum, ut eversam velit: ut evertatur, sit permissurus. Dato privato hoc dominatu, latrones, piratæ, sibi omnia, nullo

nullo alio quàm quòd fortiores sint, jure asserturi, actutum vim, violentiam, direptiones, spolia, scelerum omnium sentinam, mari invehent: scilicet & libero sibi, & occupantibus in æternùm cessuro, ex quo illud ipsemet Deus subditum esse, privatim haberi & posse & haberi voluerit. His in adversum sufficit, quod *signatum esse verbi divini præcepto* sacra pagina agnoscat: Quod *mare ipsius esse* dicat, utpote qui *id fecerit*.. Quod ipse met eum se esse ferat, qui vel profundo dicturus sit, *Desolare, flumina tua arefaciam.* Item: *Increpatione meâ desertum mare faciam: Ego sum Dominus, qui conturbo mare, & intumescunt fluctus ipsius.* Quem sibi excutiendum Dei ad suum Jobum sermonem *Burgus* sumit, neque tangendi nobis est cura. Quid enim! Deo edicente, nihil obscurum aut involutum proferente, verbisque omninò totum Deum ebuccinantibus, id quod animo non minùs quàm auribus haustum vult efferente, nobis ad paraphrastas, ad apices verborum, Poëtas, eorum quæ vitiosæ nostræ imaginationi probare se posse videbuntur, insomnia vel denique tandem, confugio opus erit? Deus meliora. Sic Deus. *Posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum, quod non præteribit. Et intumescent fluctus ejus, & numquid præteribunt illud!* Post hæc tam clara, neque mutire sit nostrum. Sit pius *Burgus*, omnia, quod & piè facit, ad Deum referendo;

do: verùm & ne ſubilludat æternæ in Deo legi, ordinationi æternæ, ordini æterno in res humanas benigné expanſo, illas ſummi numinis ad honorem conditas, homini, ſibi chariſſimo animanti, ſubmittenti: quò ad ſummum hæc inferiora bonum quandoque pretendant. Doceat *Burgum* (quæ in Sacris Dei Filius) Sapientia, ſeſe (Sapientiam nimirum) *cum ſibi ſui ordinis, ſuæ diſpoſitionis mare vellet, adfuiſſe, adſtitiſſe ipſi Deo.* Nos qui hæc ad *Seldenum* exactiſſimâ claravimus, hic manum de tabulâ.

NOTÆ AD CAPUT XVI.

Dominium Maris quale ſit.

QUod primo loco ante omnia dictum & doctum oportuerat, *Burgus* ad calcem rejecit. Incaſſum tam multa de Dominio diſputat, qui non priùs planum facit, de quali Dominio loquatur. Cum ſciat vocem *Dominii* non eſſe ejuſdem apud omnes ſignificationis. *In mari tria conſiderant: Proprietatem, Uſum & Iuriſdictionem. Proprietatem, nullius eſſe contendunt; Uſum, communem omnium hominum; Iuriſdictionem, Principis.* Sic ipſe. Rectè illi, & hos ſequimur. De proprietate

tate tamen diximus, partem aliquam à privatis occupari poſſe, vel à populo: Puta, ſi projectis molibus occupatur, aut aggeribus clauditur, aut denique ſinus aliquis maris, aut fretum, occupatur. Quod cum fieri videmus, etiam poſſe fieri fatendum eſt. Cæterum dicimus, mare, ſive ratione integri ſumptum, ſive ratione præcipuarum partium, in jus privatum abire non poſſe, non privati tantùm, ſed neque populi, aut Principis. Miramur verò, quòd *Burgus* dicat, hujus opinionis authores ſtatuere; Principem, cui juriſdictio maris competit, poſſe navigatione aut piſcaturâ interdicere, aut navigantibus ac piſcantibus vectigalia, portoria, tributa, imponere & augere. Hæc enim ſi dicerent, rem quidem totam dicerent, tantummodò de voce litem moverent. Et non ſine cauſâ dicit hanc ſententiam inter ſe pugnantia ſtatuere. Itaque, cum in margine, laudum ac memoriæ juxta immortalem *Grotium* annotarit, *de jure belli l. 2. c. 3. n. 11.* dicimus rotundè & præfiſcini, non jure cum *Grotio* agi, cum de tributis aut impoſitionibus dicto loco nullam faciat mentionem. Imò num. 12. diſertè dicit, illud certum eſſe, etiam qui mare occupaverit, navigationem impedire non poſſe inermem & innoxiam. Cum verò *Burgus* poſtea *Grotium* citet *n. 8. d. lib. & cap.* mare occupari potuiſſe ab iis qui terras ad utrumque latus poſſiderit, dummodò

non ita magna pars maris sit, ut cum terris comparata, parva earum pars videri possit, &c. Ex hoc ipso patet, non rectè *Grotio* attribui, ex solâ jurisdictione, absque proprietate, vectigalia imponi posse atque impositiones, & navigatione interdicere. Cum ne quidem hæc interdici posse contendat, eo casu quo Dominium proprietatis occupatum sit. Itaque quicumque authores illius sententiæ sint, agnoscimus illos contraria adferre & inter se pugnantia. Sed ad nostrum: *Nam Dominium*, inquit, *illud jurisdictionis quod Imperium propriè appellatur (quamvis hoc vocabulo etiam Dominium significatur) non importat aliquod jus utile, vel directum; sed jus universale, & solam defensionem & protectionem; non autem quòd is, qui istiusmodi Dominio fruitur, possit imponere onus sive tributa.* Habemus hîc confessionem *Burgi*, à jurisdictione non fluere jus exigendi onera vel tributa. Cum verò addit, Dominium jurisdictionis propriè Imperium appellari: tale Dominium agnoscimus dari posse, ut tamen Dominium proprietatis nullum sit. Tale Imperium Romanorum fuisse ex responsis Jurisconsultorum probavimus. Insurgit Noster; *Proprietatem maris nullius esse dicentes, & jurisdictionem quam Principi tribuunt, nullius facere videntur, nam cum proprietas importet directum Dominium tantùm, & hæc ex ipsorum sententiâ nullius sit; quo pacto Princeps exercebit jurisdictionem in mari, cujus neque directum*

Dominium habet, cum jurisdictio nullibi absque consensu domini possit exerceri, & is ad quem spectat jurisdictio, in ea quæ Imperii sunt, nullam habeat authoritatem. Non de eâ jurisdictione loquimur, quæ cum Imperio est, non de eâ, quæ magistratui municipali mandari potest, talis jurisdictio consensum domini non requirit: quod tamen si requireretur, foret id in illis quæ sunt in proprietate privatorum: ubi verò nulla proprietas, superfluum; quin & inane, atque adeo ridiculum quoque fuerit consensum proprietarii requirere. Si Imperium sive Jurisdictio (nam hoc loco æquivalentia sunt) exerceri potest in terrâ, ab eo qui proprietatem non habet terræ, cur in mari exerceri non poterit, cujus usus communis, proprietas nullius est? Quàm verò sunt hæc miseranda, dicere, ut Princeps jurisdictionem habere possit, necesse est proprietatem maris habeat. Cum agnoscamus, in terrâ jurisdictionem habere posse, cum proprietate nec pedem vel unum habeat. In iis utique quæ suimet ipsius patrimonii sunt, dominus verius est quam Princeps: non enim in servos suos, ut Princeps dominatur, sed ut dominus, esto ut nemini subditus. Terrarum quoque, quæ propriæ sunt, &, ut loqui amamus, patrimonii sui, non ut Princeps dominatur, sed ut proprietarius earundem, & quidem proprietarius nemini subditus, sed qui spontis sit liberrimæ.

Quòd si mare in bonis Principis erit, non alio in id modo dominium exercebit, quàm in illâ exerceat, quæ *Patrimonium Principis* appellantur. Itaque jurisdictioni derogant, qui eam non agnoscunt, nisi in eo mari, quod in bonis Principis est, & toti antiquitati obloquuntur. Quod verò, exempli gratiâ, adducitur, & quæritur, quomodò Genuenses, in quos Veneti dominium non habent, in Adriatico mari ad solvendum vectigalia cogi possunt? Respondeo. Dum in territorio Venetorum versantur extranei, imperio eorum obnoxii sunt: solvunt ergo ratione jurisdictionis. Quo quid manifestius? Qui in territorio Venetorum terrestri sunt extranei, cur attinentur legibus Sereniſſimæ Reip. publicis? an quia proprietas omnium terrarum, in quas se ditio illius expandit, privato dominio, ac velut Reip. patrimonium, ad illam spectet? Terras in dubio & Genuenses & alii exteri, prædiaque & latifundia in territorio Veneto plurimi possident, fors & habitant in dicto territorio. Ut ut exteri esse per se non desinant, ratione tamen jurisdictionis tenentur legibus Reip. sub quâ degunt. Progreditur Noster. *Veruntamen vectigalia imponi, navigationem impediri, aliaque jure fieri, & posse, & consuevisse, cum ipsi demonstravimus, tum illi admittunt, ac profitentur.* Hactenus nihil demonstratum comperimus. Quòd verò illi dicuntur admittere, qui Dominium maris

maris solâ jurisdictione concludunt, qui allegantur in margine: nempe *Pacius* de Dom. maris Adr. *Grotius* de jure belli lib. 2. c. 3. n. 11. confideret *Burgus*, quàm verè hæc dicta sint. Erit tamen de hoc infra dicendi locus. *Concedunt insuper, proprietatem maris, quam nullius esse asserunt, fieri occupantis. Cur & hæc fieri Principis non potest, si mare classibus occupaverit, defenderitque?* Cum dicitur, *mare fieri occupantis*, de tali portione maris dicitur, quæ occupari potest, puta injectis molibus. Huc spectat illud Horatii: *Contracta pisces æquora sentiunt, Jactis in altum molibus. Huc præceps Cæmenta dimittit redemptor*, &c. Seneca in excerpt. controv. l. 5. contr. 5. *Maria submoventur projectis molibus.* & Cassiod. variar. lib. IX. c. VI. *Quantis ibi molibus marini termini decenter invasi sunt? quantis in visceribus æquoris terra promota est?* Hæc ad exstruendum piscinas maritimas, quarum princeps Lucullus. Huc spectat. l. Sanè ff. de injur. *Maris proprium jus haberi posse*, quod postea contra pristinum jus ampliatum est à Leone Imp. Const. 56. ut qui prædia maritima haberent, etiam vestibulum in mari haberent. Idem piscatoribus ἐπωχὰς concessit, quas septis includebant. Neq; verò negamus, idem juris fore, ut quod pro communitate aut civitate maris occupatum fuerit, itidem fiat juris publici. Ut si stationes navium fiant projectis molibus, aut septo loco, quantum fieri poterit maximè.

Ita

Ita portus, qui publici juris sunt, pars maris, occupati sunt. Quod si ad exemplum privati prædii aliquis inferre velit; respectu Provinciæ, alluens mare Provinciæ accedere possit: sed necessè erit ut similiter sepiatur, quò mare clausum dici possit. Quod si vestibulum, quod Leoni πρόπυλον, absque sepimento fuisse dices: esto sanè. Verùm exiguum fuisse necesse est: ita pro ratione terræ extendatur usque ad limites, & extremas oras, sed ita ut prospectus aliquis in mare retineatur. Totum ergo littus in villas, in prædia maritima redigi deberet. Tum requireretur, ut maris pars eandem proportionem ad territorium habeat, quàm diverticulum maris habet ad magnitudinem prædii maritimi. Verùm admitti nullo modo potest id quod *Burgus* contendit: sicut privatus sepiendo mare suum facit, ita Princeps mare classibus occupando suum faciet: Quis ferat Principem, qui cum exercitu terram ingressus, dicat, proprietatem omnem terræ sibi cedere? Rectè quidem dixerit; quidquid hostium fuerit, suum fore, si ut occupavit, tenere potest; sed quid si magna istius terræ pars illorum in proprietate fuerit, qui hostes non sunt? Similiter dico, quidquid hostium fuit in mari occupato, victori cedit. Sed cum usus maris communis fuerit, non hostibus tantùm, sed universim omnibus; non poterit jus omnium victori cedere in victoriæ pretium.

pretium. Quòd si dixeris, mare ut bona vacantia, cedere occupanti: Respondeo: Bona vacantia non sunt, nisi quæ possessionem admittere possunt. Possessio maris in usu consistit, qui est navigatio. Hujus respectu, mare non est vacuum, sed est in possessione communi omnium hominum: etiam tum cum nemo navigat. Sicut enim usus viæ publicæ non amittitur non utendo, ita jus navigandi maris non amittitur iis, qui multis sæculis non navigarunt: ne quidem si nunquam. Quòd si occupantis jus aliquod esset, certè illius jus præferendum erit, qui primus navigaverit: si præferri hunc nolumus, nulla tamen causa est, cur jure suo, id est communi exciderit, quia Princeps aliquis magnâ classe marc occupet. Cum enim jus commune, quod defendimus, in hoc constet; ut ex omnibus singuli qui volent, navigent: hic autem usus intermissus nunquam sit, aut si intermissus, nunquam sublatus tamen: ratio non patitur, ut dicamus, jus hominum omnium, orbis totius, in eum transiviſſe, qui magnâ classe mare occuparit. Accedit, quòd occupatio rem faciat occupantis, sed in quantùm illa non potest esse nisi unius. Atqui classes Principum jus commune navigandi non tollunt, imo stabiliunt: urgente *Burgo*. Itaque sicut navigantium frequentia non est impedimento, quò minùs Princeps classem mari [illegible] posset, quò minus,

quotquot antea mare frequentarunt, perseverent in possessione juris sui: Imò rem exacte examinanti apparebit, occupationem maris aliâ viâ non fieri, nisi quatenus quis usum maris suum fecerit. Usus autem maris consistit in commerciis. Hinc Servius ad Eclog Virg. 4. *Navigatio ex marcimonii ratione descendit.* Et ad 1. Georg. significat, *necessitate quærendarum rerum homines navigandi studium ac peritiam reperisse: commune bonum erat patere commercium maris.* Ita apud Florum. *Sublatis commerciis, rupto fœdere generis humani.* At qui classem & arma mari infert, usu genuino maris non fruitur, quare neque mare possidet. Cum possessio, vel ut rectius loquamur, quasi possessio, constet in fruitione commodorũ, quæ ex usu maris capi possunt. At classes invehere mari, vim adferre vel avertere possunt. Ad propulsandum bellum valent. Quæ ut fatendum est, ad fundandam jurisdictionem solùm & ante omnia valere, ita alienissimum est ab omni tuitione maris. Belli finis non est bellum, sed ne sit bellum. Ideo classis paratur, ne classe semper opus sit; & occupatio maris per classes fit, ideo ut ne occupatum sit mare, sed ut sit liberum. Neque tamen negamus, antiquitus invaluisse, ut qui classe prævaleret, imperium maris occupasse diceretur. Sed, ut sæpe diximus, aliud imperium, quod & Dominium Maris dici potest, aliud proprietas. Audiamus nunc porrò Nostrum. *Præterea cum istam jurisdictionem definiant esse tale Dominium, quale Prienceps habet in rebus singulorum, si suam sententiam sequantur, in mari haberi non potest, quod singulorum non est, sed nullius secundùm proprietatem, & commune secundùm usum: Nisi prius admittant & proprietatem & usum fieri posse singulorum: quod si concedant; jam plenum Dominium concesserunt.* Acumen *Burgi*! quod facilè retunditur; Dominium, sive Jurisdictio terrestris, cum Dominio maris hanc similitudinem habet, quod jurisdictio Principis sit, proprietas non sit. Et rectè dicitur, si Dominium haberi potest, cujus proprietas penes alios sit; etiam Dominium esse poterit, cujus usus communis, proprietas penes neminem sit. Hanc mentem *Burgus* esse cum sciat, *Burgus* dissimulat, verba captat. Si tale Dominium maris, quale in rebus singulorum, ergo debet mare singulorum esse. Sed tum non simile; verum idem foret. Sed dudum vereor, ne Lector fastidiat redarguentem istas ineptias. *Videamus*, ait, *quibus rationibus ii nitantur, qui maris quidem admittunt plenum Dominium cum jurisdictione conjunctum, sed littoribus circumscribunt.* Allegat verò *Grotium*, alios. Hoc primium τῶ̃ν ἐν ἁγίοις *Grotio* largitur de suo vocem *plenum.* At certè res ipsa refragatur dici *plenum Dominium*, cum de proprietate distinctâ à jurisdictione loquimur. Sed subjiciemus ipsius *Grotii* verba. Postquã de flumi-

nibus dixisset, occupari posse : n. 8. addit. *Ad hoc exemplum videtur & mare occupari potuisse, ab eo qui terras ad latus utrimque possideat, etiamsi aut supra pateant, ut sinus, aut supra & infra, ut fretum : dum non ita magna sit pars maris, ut cum terris comparata, portio earum videri possit.* Hæc *Grotius*. Docet deinde : num. 10. usque ad Justiniani tempora, omne mare & littus juris gentium fuisse, nec à populis occupari potuisse ; tamen ad exemplum privatorum, qui exiguas maris partes septis clauserunt ; & n. 8. ad exemplum fluminum, quæ respectu riparum occupata sunt, dicit, naturam non repugnare, quò minùs & maris partes occupari possint ab iis qui terram ad utrumque maris latus possideant. Restat, ut inquiramus de mari aperto, non de freto aut sinu. Et hic cum *Grotio* fatemur, maris aliquam partem imperio subjici posse & jurisdictioni, sine ullâ aliâ proprietate. Idque exemplo totius antiquitatis, ut supra diximus. *Burgus* existimat, imperium omne maris etiam proprietatis jus continere. Argumenta tamen pro se nulla adducit : sed opponit sibimet aliquot adversariorum rationes, ad quas respondere nititur. Percurramus singulas ; illud prætermittentes, sufficere nobis testimonium Imperatorum Romanorum, qui imperium sibi maris attribuerunt ; ut tamen, mare juris gentium esse dicerent, & ejus usum communem, proprietatem nullius

lius. Si quis Princeps sibi plus juris in mare attribuere velit, quàm Imperatores Romani, probationes alias proferat pro se, neque nobis opus est aliâ probatione, qui eorum testimonia produximus, quorum maximè intererat proprietatem suam tueri. Videamus tamen quid *Burgus* nos dicentes faciat, & quomodò respondeat. *Immensum namque mare esse ajunt, & nunquam in unius ditionem venisse.* Authorem hujus argumenti citat Pontanum. Sed mens Pontani est dicere, nunquam in alicujus ditionem venisse, neque ex parte, neque ex toto. Quæstio enim quam tractat, non hæc erat : An unus omnium marium proprietatem habere possit, sed an maris alicujus proprietas in dominio aut esse possit, aut unquam fuerit : præter freta & sinus aliquot? Respondet ergo Burgus. *Nunquam in unius potestatem venisse, libenter admittimus, (quamvis Adamum universalem æquè maris ac terræ dominium fuisse dicamus, & demonstravimus) sed neque orbem terrarum*, &c. Responsionem *Burgi* neque & nos improbamus, quatenus de unius imperio argumentum loquitur : quod nimis futile est. Interea, quod de Adamo dicit, agnoscimus ei datum imperium terræ ac maris, ut erat repræsentans non Principem aliquem, sed totum genus humanum. Nomen siquidem ejus, *hominem* significat. Hoc est quod contendimus humano generi competere usum maris. Quod si illius & pro-

prietas esse potest, eadem etiam ad universum genus humanum pertinebit. Non secus quàm ea quæ publici sunt juris, sunt in proprietate populi : Terra quidem divisa est inter gentes, & obtigit unicuique sors sua: maris usus non potuit, nisi communis omnium esset. Divisione introductâ, singulis sua pars cessisset, universalis usus intercluſus fuisset, quem commercia omnium inter se postulabant. Sed videamus cætera. *Nec ideo quoque, quod aliquod maria Dominium patiuntur, vastum quoque illum atque immensum Oceanum subjici imperio posse, cum particularia maria eorumque sinus, præsertim patentiores, nisi cum summâ difficultate ac vi majori, sub alicujus dominio habueri possint.* Respondet, qui dixerit, Reges Italiæ, Galliæ, Brittanniæ, cæterique, in suis terris dominantur : jure intulerit, ergo terra sub imperio esse potest. Sed dispar ratio est. Ista regna ejusdem conditionis sunt, cujus cæteræ terræ. Sed de sinu maris aut freto concludere, perinde erit atque dicere, ego in meâ domo, & quisque in suâ dominium exercere potest. Quod verò de Dominio maris inter Græcos, & postea Romanorum maritimo, concludere vult ad imperium Oceani; nihil ex hoc aliud evicerit, quàm in Oceano tale imperium esse posse, quale Romanorum fuit; id est jurisdictionis, non proprietatis. Sed & hoc ipsum non consequeretur. Nempe in illis maribus,

ribus, quæ in dominio fuisse dicuntur, limites assignari possunt : quas nunc non attingimus, neque enim hic actorum partes tutamur. Sic Burgus : *cum Dominia terminis distinguantur, neque ullus in vasto & immenso mari terminus possit inveniri, nullum ipsius esse posse Dominium, consequens est : quod in littorali non accidet* Respondet Burgus : *Etiam in aperto salo termini limitesque ex nauticâ atque Cosmographicâ commodè desumi, præfigi possent.* Sed cum *Burgus* ex veterũ dominio nautico naturam ejus definiat, apud veteres autem navigationis usus quæsitus magis quam repertus fuerit; certum est, ex eorum mente nullos terminos aut limites in Oceano reperiri posse. Non enim intellexerunt mare quod terræ circumvolvitur navigabile esse. Cum & Augustinus crediderit orbem, qui nostro subjacet, esse inhabitabilem, homines, qui adversa nostris urgeant vestigia, capitibus niti; ingredi supinos : cum non caperet bonus Præsul, gravia circumquaque ferri ad centrum : sed ita deorsùm, ut apud nos, per lineas parallelas. Naves ergò secundùm illos, mari excidissent. Accedit, quod ante inventionem lapidis, qui *Calamites* vocatur, montes ac scopuli itinerum duces fuerint, neque extra conspectum terræ prodire quisquam potuerit, quam sub incertâ spe, ignarus interim quantùm spatii confeciſſet. Itaque beneficio istius lapidis, qui septentrionem versus

sus ducitur, Oceanus demum agnosci cœpit. Est id inventum nuperum. Ante id tentari Oceanus non potuit, nisi secundùm terram. Hinc meritò dicimus, hujus Dominium incognitum fuisse. Loquor autem de Dominio, quale Romanorum & Græcorum, aut ullius populi fuit, quod imperio, non proprietate continebatur. Quale Dominium ne nunc quidem in Oceano extra conspectum terræ agnoscimus. Nam etiamsi distantia, quæ inter Polos est, beneficio Calamitis metiri posset, tamen quæ ab oriente ad occasum est, hucusq; reperiri nullâ arte potest. Agnosco sphæram confici posse, & per gradus cœlestes dividi, ut certum sit, quot gradibus maria finiantur. Sed ut quis in Oceano constitutus, extra conspectum terræ dicere possit, quot gradibus occidentem versus progressus sit, planè impossibile est. Quid ad rem fecerit, maris latitudinem in charta delineasse, si in mari existens dicere non possis, quem latitudinis locum attigeris, aut si ex conjecturâ dixeris, ut non aliquot centenis milliaribus falli possis. Et hic aliquis limitem imperii sui assignare ut possit! ut omittam ineptias eorum, qui non contenti imperio, etiam proprietatem sibi promittunt. Interea non exigebat locus hîc de Oceano loqui, cum de differentiâ fretorum & sinuum, cum aperto mari, quod Mediterraneum est, sermo institutus esset; rursum quatenus

tenus proprietatis aliquis locus esse posset, quam in aperto mari nullam agnoscimus. Sed *Burgus*, dum omnia miscet, neque methodum ullam sequitur, coëgit me ex sinu & freto in vastum Oceanum excurrere. Itaque redeamus cum illo in viam. *Quod autem vix particularia maria sub alicujus ditione retineri possint, ac summâ cum difficultate & vi majori, ubi verum esset, penderet potius ex imbecillitate Principum, quàm ex maris naturâ.* Sic vult. Sed & nos ponimus, quod ipse: nempe eum, qui dominatur mari, vires sufficientes habere ad tuendum dominium suum: cum certum sit, vel tùm ægrè tale ab ipso imperium posse defendi. Testis his accedit experientia, & experientiæ quoque ipsi, *Burgus*. Vidimus recensentem imperium Græci maris, illud intra non longi temporis spatium commeasse docentem de gente in gentem: & inter illas Rhodii, Cretenses, Athenienses, Lacedæmonii, Macedones, Tyrii, Ægyptii, Rex Asiæ. Sed fortè his omnibus fortior Genua. Quod verò dicit, hoc non pendere ex maris naturâ: unde ergo? Ex imbecillitate Principum, inquit. Verùm nullum Principum robur aut tantum, aut tam diuturnum, ut non à majori robore convelli possit; sæpè & ab imbecillo. Imperium terræ munimentis & præsidiis teneri potest, ne semper exercitu opus sit. Imperium maris, ut classibus, id est exercitu maritimo, paratur, ita classibus te-

netur. Nam de imperio aperti maris loquimur. Si sumtus ferri possunt sub imperio, quod multarum terrarum est, ut classes ad custodiam imperii terrestris teneantur, ad custodiam maris verò secundariò. Sed de hoc postea, cum de retinendo dominio agetur. Sufficiat nunc dixisse, naturam non pati, ut modicum imperium terrestre dominium maris multò latiùs contineat. Vires contractæ sunt ut plurimum valentiores. Progrediamur. *At*, inquit, *quâ de causâ, infami anarchiæ expositum apertum mare relinquunt, ac piratarum asylum faciunt, cum littorali protectioni Principum commendaverint? Quæ est varietas ista naturæ? Quæ aperti maris crimina, ut Reip. prodesse non possit, sed scelerum tantùm ac rapinarum sit receptaculum?* Miramur hæc eo loco dici, quo disquiritur an Dominium maris sit actus imperii absque proprietate, an verò necesse sit mare in proprietate esse, ut imperium in eo loco exerceri queat. An qui imperium, qui jurisdictionem agnoscit, Anarchiam introducit? & qui Dominium maris huic fini servire dicit, ut mare à piratis tutetur, an ille piratis patrocinatur? Quid si dixero imperium in mare propriè non esse, an ideo Anarchiam stabilivero? Tam imperium, quàm anarchia locum habent in populo, aut Republicâ: terræ attribuitur respectu hominum. Da terram possessoribus vacuam, da, inquam, Principi. Possessionem

nem adipisci poterit, imperium non poterit. Non est Rex, nisi sint qui regantur, non magistratus absque populo: non imperium nisi sit quibus imperetur. Itaque neque anarchia erit, nisi in confluxu populi. Atqui *Burgus* queritur, mare pati anarchiam, nisi in proprietatem alicujus transierit: si diceret, nisi sub alicujus imperio esset, videri posset, quòd anarchiam imaginentur sine incolis. Nunc verò, cum imperium illud, quod non unà eorum, quibus imperitet, proprietatem habet annexam, anarchicum vocet, quid dicemus? Helleboro hic opus, non argumentis. *At*, inquit: *Consequens est, ut plenum dominium sit, quod proprietatem & usumfructum continet, tam in littorali quàm aperto mari, ita ut ipso uti domini injussu minimè liceat, quod plenum dominium jurisdictio consequitur.* Ex quo autem hoc consequitur? Respondere conatus est ad rationes adversariorum; ipse nullum argumentum protulit, nisi quòd anarchiam infamem appellarit, & aperti maris nullum crimen fuisse, cum prostitueretur ad rapinas privatorum. Si hinc inferre volet, mare sub tutelâ esse debere, aliquid dixerit, sed quod in eo est, ut dicat, in plenum dominium transire, quod proprietatem & usumfructum contineat: ad quod dominium jurisdictio consequatur, certè nec quidem sint ratiocinantis. Nihil huc usque prolatum est ex quo objici possit, impe-

rium aut jurisdictionem esse non posse absque proprietate. At enimverò expediat se nobis, explicetque, qualis hic tandem denuò ususfructus sit futurus? Hoc ut agat, ponit usumfructum in navigatione & piscatione: *his frui, Domini injussu nemini licere contendit.* Hic ipsius jam verbis quærere liceat: Quæ maris crimina, ut amplius omnibus hominibus prodesse non possit, sed ex libero factum sit mancipium, sub nutu tot dominorum, quot gentes maris accolæ sunt: ut injussu eorum usu maris frui nemini liceat? Imò verò quod genus humanum concernit; ut commoditate maris privaretur, sublatis commerciis, rupto fœdere generis humani? Nam veriſſimè libertas commerciorum tollitur, si venditur. Neque dissimulat *Burgus*: dum enim usus maris, quem usumfructum appellat, unà cnm proprietare redactus sit in patrimonium Principis, ut ille contendit, hactenus ut injussu Principis navigare nemini liceat, concedenda erit navigatio à Principe. Quod si ille aut hostes suos mari egerit, aut piratas fugaverit, jam ne aut hostes illi, aut piratæ tantum mereri, tantùm committere potuerunt, ut totus terrarum orbis exciderit jure suo? Sed audiamus deinceps. *Huic autem dominio non derogat navigatio, seu piscatio, etiamsi liberè permitterentur: nam nihilominus plenum dominium penes Principem esse diceretur. cum ususfructus non dominium sit,*

sit, sed servitus. Quo non obstante, rectè dicimus, mare esse Principis, etsi usum fructum aliis concederet. Interea neminem agnoscit, aut suo, aut naturali, aut gentium jure, navigare posse: sed ex indulto Principis. Tale indultum aut permissionem probare vult, dominio Principis non repugnare: quasi in hoc controversiam quis moveret. Certè satis hoc manifestum est, si ut in flumine Princeps aut locare, aut concedere potest jus piscandi, ut tamen dominium non transferat, ita jus navigandi in mari locaret aut concederet, nihil ex hoc circa dominium maris immutaretur, omnino id probandum ipsi fore. Sed quod unum controvertitur, non attingit; nempe Principem tale Dominiũ maris habere, ut sine ejus consensu navigare nulli liceat. Imò etiam nunquam probabit *Burgus*, exteros navigatione fluminis interdici posse, cum tamen fluvius agnoscatur esse juris publici, & in bonis Reipub. sive Principis. Ut si qui Rhenum accolunt, merces suas deferant per alveum Rheni, modò legibus cujusque jurisdictionis obtemperent. Quod verò ad mare attinet, si quæ pars maris ita occnpata sit, ut in proprietatem transisse dici possit, quod in fretis, & in istiusmodi sinu, qui littoribus penè clauditur, concessimus fieri posse; non tamen in his navigatione interdici potest, si inermis sit, & in-

noxia. Ut fileam, quàm ineptè *Burgus* navigationem appellet *usumfructum maris*, cum nullo sensu ususfructus dici possit: sed usus. Quod neque de tali usu intelligi debet, qui servitus sit: Is enim est in re alienâ: hic in re communi. Talis usus non omninò separatus est à proprietate: cum qui utitur re communi, etiam portionem suam habeat in illius proprietate: nam licet nullius sit, privatim tamen omnium est universim. Itaque qui, quod omnium est, ita suum facit, ut alios excludat, genus humanum spoliat, & sub obreptitio nomine tutandi maris, & à piratis purgandi, bellum generi humano indicit, à piratis hòc dissimilis, quod dominium in terrâ habeat, & piratæ incerto æquore vagentur, nec eo potentiæ excreverint, ut aut Principes, aut Domini maris dici possint.

NOTÆ AD CAPUT XVII.

Dominium Maris quomodò acquiratur, & quo pacto ipsius possessio occupetur & retineatur.

QUoniam itaque datum est humano generi à supremo Numine maris æquè ac terræ dominium, quomodò deinceps in nationes ac populos privatosque homines derivarit, despiciamus. Ut in pauca contrahamus, quæ fusè plus

plus satis à *Burgo* disputantur, dum anxiè stabilire satagit quæ probatione non indigent: ea verò in quibus cardo rei versatur, contentus nudè dixisse, perfunctoriè transilit. Itaque tres sunt acquirendi modi, Occupatio, Divisio, Bellum. Damus etiam Bello quæsita victori cedere, neque necesse esse, ut restituatur ei, qui aliquando eorum dominus fuerit. Multis exemplis hæc confirmantur à *Burgo*. Sed circa res quæ propriè occupari possunt, ut sunt armenta, & quidquid prædæ nomine continetur: tum urbes, terræ dominia terrestria. Negamus autem, mare unquam divisum fuisse ante occupatum alio modo, quam ut imperium maris ejus esset qui classibus prævaleret: usus verò maris circa navigationem & piscationem communis esset omnibus, proprietas nullius. Itaque qui hostem bello vicit, omnibus bonis exuere potuit, & quidquid hostis fuit, suum fecit. Sed negavimus proprietatem maris in præmium victoriæ cedere potuisse, quia nullius in bonis unquam fuit. Non potest eripi ab hoste, quod nunquam habuit. Testes damus locupletes, Imperatores Romanorum, in quorum dominium concessit totum mare Mediterraneum cum Ægæo & Euxino, & quidquid terrarum isto mari in circuitu alluitur: ut si cui unquam justa causa fuerit usurpandæ proprietatis in mari, Imperatori Romano fuerit; verè enim littoribus suis, terris &

ris & oris ſuis mare concluſum erat. Et tamen ſæpius reſcriptum eſt, mare eſſe juris gentium, ejus uſum omnium hominum eſſe, proprietatem nullius: Itaque neminem navigatione aut piſcatione prohiberi poſſe. Littora quoque ratione appulſus omnibus communia eſſe, licet ratione ædificandi caſas, publica dici potuerint. Vidimus ſuper his reſcripta Imperatorum, & reſponſa juriſconſultorum, nec eſt, ut iterum actum agamus. Quidquid verò *Burgus* hoc Capite tractat, nititur hâc hypotheſi. *Maris proprietatem eſſe in bonis ejus, qui id claſſe ſuâ occupaverit.* Ex hoc infert per conſequentiam, qui talem poſſeſſorem poſſeſſione expulerit, proprietatem maris ſibi acquirit. Sed hypotheſin illam falſam eſſe ſupra probavimus: Itaque quidquid huic ſuperſtruitur, irritum eſt & inane. Obſervandum interim, quod *Burgus* de Provinciarum occupatione fatetur, dicens: *Veruntamen agri ac provinciæ non ſtatim captæ intelliguntur, ſimulatque inſeſſæ ſunt, ſed demum captæ cenſentur, cum manſuris munitonibus ita includuntur, ut niſi iis expugnatis, hoſti in eas aditus palàm non ſit.* Hoc ſi in terris, in quibus vera & poſſeſſio & proprietas agnoſcitur, & occupatio propriè dicta eſt, conſequens eſt, in mari, ubi non niſi per tranſlationem vocibus *occupationis* & *dominii* utimur, majore negotio opus eſſe ad probandum dominium. Atqui ſemper hoſti palàm in mare aditus

aditus patet, neque enim includi munitionibus poteſt: etſi leve hoc præ eo quod addam. Ut plenum dominium tranſeat in occupantem, neceſſe eſt alios omnes poſſeſſione excludat. Atqui navigantibus commerciorum gratiâ, maria quæ aperta ſunt, patuerunt ſemper; non ergo jus navigandi (addo & piſcandi) per bella unquam ademtum fuit iis qui eo ſemper uſi ſunt, idque jure gentium. Neque hoc jus gentium occupatum fuit à Victore. Quod ſi, ut temerè ſuperiori capite dictum eſt, Principis eſt navigationem prohibere aut concedere; ut proprietarii diſponentis de uſu maris; aut, ut *Burgus* loquitur, de uſufructu: moneo illum, ut ſaltem aliquod exemplum proferat, ſive ex primâ, ſive ex mediâ ætate, ſive extremâ, adeoque noſtrâ; quò conſtet, occupatorem maris jus navigandi non tantùm hoſtibus ac piratis, ſed omninò omnibus ademiſſe, niſi licentiâ ab ipſis impetratâ. Sed audiamus *Burgum*. *Sed hoc tum locum habet, cum ut in agris ac provinciis acquirendis, illas munitionibus firmandas ſtatuimus; ſic in mari claſſibus dominium tenentes, nos geramus tanquam dominos, & cæteros ea quæ dominii ſunt, exercere prohibeamus. Notum illud Callicratidæ ad Lyſandrum, qui cum ei ut ſucceſſori claſſem traderet, ſe victorem maris dominam claſſem tradere jactabat. Cui Callicratidas; Circumage naves Epheſo ad ſiniſtram Sami, ubi Athenienſes ſunt, & mihi in Mileti portu claſſem trade, ſic*

maris imperium te obtinere convinces. Itidem ego *Burgo* respondebo: Classem in mari habet Dux Etruriæ, classem Pontifex; in regno Neapolitano classis pro Rege est; Rex Galliæ, Rex Hispaniæ instructissimas classes habent. In Africâ in portu Tunetano & Algierensi classes sunt: quæ omnes eidem mari immineant, excursiones annuas exerceant. Inter omnes minimùm potest Genuensis, neque eadem unquam excursionibus implicatur. Et Dux Etruriæ duodecim triremes, ut minimè, habeat, Pontifex decem, Genua solet quatuor, & ut maximè sex habere. Et tamen audio hoc dictum Callicratidæ, eum qui cæteros mari amoverit, de maris imperio gloriari posse. Audiamus porrò. *Statuimus itaque, ad acquirendum maritimum imperium jure belli, opus esse classe, quâ hostem ex mari pellamus: portubus quòque, in quibus classem tenere possimus. copiâ rei nauticæ? & rei navalis peritiâ: quibus non modò dominium acquiramus, sed & illud nobis conservemus. Hinc, ut Athenienses Æginætas & Medos: Romani Carthaginenses, Antiochum, & Philippum: hostes navigare prohibeamus, faciamusque cætera, quæ maris domini solent, ut hoc modo actum externum edamus, quo dominium nostrum appareat, cum animi actus minimè sufficiant. Cum namque dominium possessione maximè nitatur, quam non adipiscimur aut solo animo, aut solo corpore, sed utroque simul, oportet mare, non modò occupare, sed & eo animo id facere, ut ejus*

ejus domini fiamus, & ab aliis pro dominis habeamur. Hæc *Burgus*: quem nolo aliis quàm suis ipsum verbis convincere. Hæc arma, hæ classes, non sunt calami scriptorii aut libri. Quid magis à veritate alienum, quàm Genuam eam esse quæ alios, qui dominium maris affectarent, illius navigatione interdixerit? Quòd si dicat *Burgus*, se tantùm loqui de Ligustico: ne loquatur de toto, vasto, immenso. Quæcumque hactenus ab ipso allegata sunt exempla, evincunt, imperium maris nullum esse, nisi quod toto mari imperitet. Ita cum inter Athenienses & Lacedæmonios de imperio maris pugnatum est, universi maris intelligi debet: non propriè illius, quod Athenienſium aut Spartanorum fuit; cum unaquæque ditio mare suum habuerit. Ita, cum Argivi cum Athenienſibus expostulant, quod fœdus violassent, quo cautum erat, ne alter populus hostes alterius per loca imperii sui ire sineret διὰ τῆς ἑαυτῶν, Spartanos verò hostes per mare suum transire permisissent: Si tum temporis Spartani maris Dominium habuerunt, falsò Argivi mare aliquod Athenienſium esse dixissent. Sin autem Athenienses maris imperio potiebantur; non tantùm de transitu, sed omninò de usu maris Spartanis concesso conqueri potuissent. Quid verò manifestiùs, quàm imperium maris semper penes unum populum fuisse, quorum seriem nobis *Burgus* deduxit

per plurima ſæcula, cum tamen interim portuum ſuorum & claſſium unaquæque gens dominium haberet. Illud obiter notandum eſt; Aliud eſſe hoſtibus ſuis leges præſcribere, quibus libertas navigandi aut limitetur aut interdicatur: aliud, promiſcuè omnibus interdicere. Sic & fœdera, quæ uni cum aliis pepigerunt, non ſunt argumento, mare occupatum eſſe, aut jus gentium ſublatum eſſe. Poteſt populus ſuo juri renuntiare, non ei modò quod ſibi privatim competat, ſed & quod jure gentium cum omnibus commune habet. Quidquid enim promiſſum eſt, ſervari convenit. Ita etiam ſinguli juri naturali renuntiare poſſunt. Exemplum eſt *in l. Venditor, ff. Comm. Præd.* ubi fundus venditus eſt hâc lege, ne Thynnaria piſcatio exerceretur, mari ſervitutem imponi non poſſe, ſed bonam fidem contractus expoſcere, ut lex venditionis ſervetur. Hæc verò tantum abeſt, ut jus univerſale introducant, omnes homines ex æquo prohibendi, ut contra per hujuſmodi pacta jus aliorum confirmetur, qui pactis non comprehenduntur. Qui enim paciſcitur, ut ſibi debeatur, fatetur extra pactum jus ſibi non fore, & per conſequentiam ergo, alios qui pacto non tenentur, idem ſibi arrogare non poſſe. *Alius*, ait porrò, *eſt acquiſitionis imperii maritimi modus, conſuetudo.* Allegantur aliquot authores ad hoc probandum: ut gl. in *l. Sanè qui maris, ff. de Injur.*

Injur. Faber in §. *Flumina, Inſtit. de rer. diviſ.* Bart. in *l. injuriarum, § ſiquis me, ff. de Injur.* qui omnes de privatâ occupatione loquuntur, ut ad imperium referri non poſſit. Sed *Burgus* nullo diſcrimine confundit inter ſe, proprietatem & imperium, privatam perſonam & Rempublicam, & ſiquid de alterutro probatum eſt, de utroque probatum putat. Ego verò ut non negaverim imperium maris conſuetudine roborari, ita introduci conſuetudine, non videò quomodò conſiſtat. Initium conſuetudinis, non eſt conſuetudo. Sed hoc omiſſo; illud agi debuit, quod in controverſiâ eſt. Non an imperium maris obtineri poſſit per conſuetudinem, ſed ſed an tale imperium, quo libertate navigandi omnibus interdicatur. Quid enim ad rem, ſi piratis, ſi hoſtibus, ſi aliis, ex pacto, longiſſimo tempore interdicta navigatio fuerit? quid ad illos, quibus interdictio nunquam facta eſt? Imò, ſi injuſtè facta ſit interdictio cum violatione juris gentium? Ac tandem, quid ſi hæc falsò dicantur, ut facilè probare poſſit, ſaltem in mari Mediterraneo navigationes innoxias (nam de armatis non loquimur) interdictas, aut non niſi ex permiſſu exercitas nunquam fuiſſe? Itaque & nos ad conſuetudinem provocamus: non innixam violentæ occupationi, ſed naturali æquitati, imò tacito fœderi generis humani ad commune bonum omnium gentium. Quæ

deinceps de retinendo imperio disserit, cum eodem modo dicat conservari, quo acquiri; nihil hic movebimus. Quòd autem dicit, multos non nisi cum veniâ, amicos etiam, navigare permittere; si de aperto mari loquitur, probationem requirimus. Quod addit non semper opus fore classe, semel occupatâ maris possessione: si de imperio maris aperti intelligit: frustra est. Tale siquidem imperium cessaret, si contingeret alium Principem viribus maritimis esse potentiorem. Non enim innititur juri, cum sit facti. Nisi ex vi pacti aut fœderis alicui navigare non liceat. Tale fœdus inter contrahentes valet, & quidem solos. Sed aliud est pactũ non navigandi, aliud de dominio maris pacisci: eique totius universi in præjudicium dominum dare. Neque enim populus bello victus dominium maris, & si dare vellet, etiam posset: semet ipsum validè excludat: præter se, neminem. Itaque terminatur maris dominium solâ maritimâ potentiâ. Nisi de parte aliquâ maris sit quæstio, in quam ex terrâ in mari versantes cogi possint. Non enim hic locum habet, quod in occupatione rerum vacantium dicitur, ex occupatione videlicet acquiri jus proprietatis: Vacantia enim sunt, ut diximus, quæ in bonis esse possunt. Tum mare non vacat (possidetur enim) cum navigatur, cum & navigare volenti navigari potest. Qui navigat, mare occupat: qui

qui imperium maris occupat, & idem mare occupat: sed de priori dici potest, quod maris usu fruatur. Impediri talis potest: jure suo privari non item: nisi ex pacto: vim, quæ valitura sit, insuper habemus. Plautinum illud, *Sosiæ ejus se agnoscentis, qui pugnis suis suum ipsum fecisset*, neutiquam admittimus. De altero dici potest, quòd talis occupatio mari non utatur, nec eum finem consequatur, quem ex mari trahi posse natura voluit: nisi per consequentiam, quatenus navigationem liberam reddat. Itaq; occupatio dominii cum usum navigandi, id est, jus gentium non tollat, sed potiùs stabiliat; non est ejusdem generis occupatio, sed tali genere differt à tali occupatione, qualis est dominii propriè dicti, sive proprietatis. Ex quo consequitur, remotâ occupatione, mare eodem statu & conditione fore, quo fuit, priusquam occuparetur. Appareret hoc (dictis absit invidia) in piratis: Nam intentione bona sit, an perversa, rei naturam non mutat. Secus si sit,

Committant eadem diverso crimina fato;
Ille crucem sceleris pretium ferat, hic Diadema.

Maritimis latro, tantùm juris sibi sciscat, quantùm Alexander jam jam jugulo imminens: dummodò paresint qui periculum virium non fecerunt; quibusve illud, *Dono ducito, doque volentibus, & magnis Dis*, aut scæva

va sors, aut Jupiter hostis invitis non extorserit. Revertimur ad intentionem. Esto, facit illa quidem, ut quid justum sit, aut injustum. Actio tamen æquè naturalis est. Piratæ ergo mare occupant. Sequitur facultatem navigandi ademptam: at non ideo ademptum navigandi jus. Ergone piratæ occupantes jus hoc, ad hæredes suos ut transmiserint? ergone ut transmiserint jure sui? jure præcipui? jure avito? jure omnium quoque antecessorum memoriam egresso? Denuò præfamur, absit dictis invidia: ne comparando peccemus: nemo nos Sacrosanctis miscere dixerit execranda, detestatissima. *Burgum* si audimus, nihil hic differant Reges à piratis, dum occupant communia, involant in non possidenda, quàm pro jure universi. Deus, Natura sciscunt ea, semper talia: intervertenda nunquam, nisi cum exterminio utilissimi rerum omnium quod ad vitæ sustentacula suppeditatum est, scilicet mutui hominum inter se cõmercii. Id si verum, esto, sit quò se explicet. Si divinum amorem amplectimur, & nos hic & nostros animos amor, quo cœlum regitur, regat; neutiquã hæc admiserimus. Eluctetur has obtẽsas, ut ut nequicquam, umbras, Sol justitiæ. Nullus dixerit, ut ut potentissimus. *Et genus humanum & mortalia terminus arma*: qui non & fandi memorem atque nefandi sperare doceatur. Properent ad suos recursus singula, reditu suo & gaudeant, æternum sic bene gavisura. Fructus hostis pulsati, exacti piratæ, maris liberi, sit una maris libertas: Nemo hanc prætexat, eandem eversurus, vastitatem facturus, vasta ubi reddiderit omnia, ubi inaccessa, generis humani fœlicior latro libertatis nomen obtenturus, toti universo, jam pedibus suis affuso, infra servos, & infima sortis servilis prostrato. Quippe ni? namque & ipse, sit ut ut valentissimus, sit, uno verbo, Dominus, simulatcumque mari dominari desinet, classes amovebit, vires subducet; privatus erit, sortis privatæ intra cancellos septus, domino cessurus occupanti, occupare volenti, cuicumque. Is ipsimet ipsi, (modò valentior sit,) leges dictabit, ut nequid sequiùs de summis nominibus. Inania sint tali Ennosigæum ipsum compedibus arctanti, juris, dominii, nomina vel ipsa. Convertuntur isto casu dominium, & occupatio. Longè abest à dominio maris, illiusdem tutela. Sit qualiscumque; tutela est: sit jus, sit vis, sit potestas: ponit ea liberum caput: ponit sibi defendendis imparia: ponit ex isto jus exurgens, at salutare: at protecturum: protegendo cauturum, ne quid tegendus capiat detrimenti: his adversa longè habet: quippe sibi aversa, infamia, citraque publicam universi (cui protectio rerum protegendarum est & sacrosancta) detestationem non admittenda. Non est ut hic mare terræ (quod &

diver-

diverbium vetat) misceamus. De dominio terræ acturis, leges arma porrigunt. De mari contendere qui volet; contos, gladiumque si parat; & relinquit. Spoliare si gestit, *Omnia si tulerit, spoliatis arma supersient.* Hic quantùm quisque potest, tantum & jure suo uti creditur. Valet hic Callicratidas quem supra cum *Burgo* citavimus. *Hera quem regnare volet, quem fors &c. est tradenda classis in portu Mileti, sed in conspectu Athenienſium. Sic armis, sic animis victos sese Lacones, ferent ut ut tori, nervi, lacerti, tam mari quam terrâ bellorum, & quorum cumque.* Si tamen hæc confecturos dormitanti superos *Burgo* credere volupe est, suaviſſimo suo bene placito quàm suaviſſimè ut indormiat, licet per me, cui id, nescio quo fato, hæsit semper quàm non esse altera Spartæ mænia, quàm si scutum hæreat scuto, galeæ galea, implicetur vir viro: non nisi post exacta belli justa, justus ipse, justus Deo futurus hominibusque.

NOTÆ AD CAPUT XVII.

De Effectibus & Viribus Dominii Maritimi.

ITa Burgus. *Qui Maris Dominium tenent, illud in navigatione tantùm & piscatu exercere solent, & quoad usumfructum, ea in suo mari nascuntur & continentur, sui esse juris*

juris præ se ferunt. Quo jure Borussiæ Princeps sibi vindicat succinum, quod fluctus ad littus projiciunt. Et insulæ in mari natæ, ejus sunt, cujus est mare & proximum littus. Quòd usumfructum Principis esse dicat, necesse est fateatur proprietatem ad eum non pertinere: ususfructus enim locum habere potest, si à Dominio separatus sit, non aliter. Quòd de succino addit ejecto in littus, ratione littoris Principis esse dicitur; quando jus Romanum per consuetudinem immutatum sit, ut non amplius juris gentium esse censeatur, sed juris publici. Itaque licet mare alieni Dominii esset, littus tamen, & quod in littus ejicitur, territorio terræ accedit. Fieri hæc posse ex vi pacti satis constat. Sic in pace cum Carthaginensibus factâ, post bellum Punicum secundum, Annibal Scipioni loquitur apud Livium: *Carthaginenses inclusi Africæ littoribus, vos quando Diis it aplacuit, externa etiam terrâ mariq; regere videamus imperia.* Quod de insulâ in mari natâ additur, quòd ejus sit cujus sit mare, si sit ut vult, nullius erit. Quod si diceret cujus est imperium maris, probationem flagitaremus. Allegat Gryphiand. de Insulis Cap 10. n. 30. Nos illi opponimus Justinianum §. 22. Inst. de Rer. divis. qui ait, *Insula, quæ in mari nata est, (quod rarò accidit) occupantis sit: nullius enim esse creditur. At insula in flumine nata, (quod frequenter accidit) siquidem mediam fluminis partem tenet, communis est eorum qui ab utrâque*

parte fluminis prope ripam prædia possident : pro medio scilicet latitudinis cuiusq; fundi quæ propè ripam sit. Quod si alteri parti proximior sit, eorum est tantùm, qui ab eâ parte propè ripam prædia possident. Si in flumine, quod publicum est, insula nata, Principis non est, quantò minùs in mari, nisi primus occupaverit ? Quid si quis dicere velit, huic juri derogatum esse per contrariam consuetudinem, expectamus eam ostendi. An, quod rarò fit, consuetudinem introducere potest ? Quid ! si nec & ullum exemplum edi potest ? An juri tam expresso alicujus Doctoris authoritas derogabit ? Quid si insula nata sit in mari littoribus clauso, sive sinu maris, ejus proprietas occupari potest, ut diximus, adsentiente *Burgo* : sed si in mari aperto, cujus imperium sub aliquo Principe sit, pernegamus. Quid ! quod & præter jus scriptum ratio nobis suffragatur ; non enim insula aliqua, ut balena in nictu, quod ajunt, oculi emergit, aut unâ die, sed paulatim, per tacita incrementa, cujus incrementum tale, ut nec mare nec littora dici possit. A nemine certè occupabitur, nisi eo, qui ejus usum in piscatione aliquem repetit. Quod si per intervallum longi temporis ex dubio mari facta indubia terra, poterit talis possessor, etiamsi jura illi non suffragentur, præscriptione se tueri. Pergamus. *Quodque ad navigationem attinet, potest maris dominus omnibus navigationem interdicere, impositis vectigalibus*

galibus, tributisque. Compendiosè certè ; & cum in hoc tota controversia sita sit, non pluribus hic tractat, quàm si titulum libro inscriberet. Quod si de tali parte maris ageret, quæ occupatione in proprietatem ire potest, ut de sinu & freto diximus, ferri utcumq; poterat : etsi neq; tũ concedi debet. Certè cum allegat in margine *l. Sanè si mari. ff. de injur. & ad eam Scribentes*, sciat quod lex de tali occupatione loquatur, quæ à privato fit, & cum imperio nihil commune habet. Ostendit ipse sibi omnes omninò probationes deesse. Quid enim alienum magis, quàm dicere, privatus potest proprietatem in mari consequi, ergo mare est in proprietate Principis, idq; eo loco, quo lege proximè præcedente dicitur, *mare commune omnium esse & littora, sicuti aër, & est sæpissimè rescriptum, non posse quem piscari prohiberi.* Quod si dicimus, dominum maris omnibus navigationem interdicere posse, in ipsius arbitrio erit, non permittere, nisi ad eas conditiones quæ ipsi placuerint, & vectigalia urgere, augere, quoad placuerit. Videamus num & ipsi probanda sint quæ sequuntur. *Navigatio*, inquit, *vel inermis est, vel armata. Hæc rursum aut est privati alicujus, ut piratæ, aut classis seu navium Principis alicujus. Illa interdici potest, cum jure gentium interdicta sit.* Dico ego, ne quidem permitti. Frustra hoc ergo adducitur ad probandum jus vectigalis. Frustranea sint etiam omnia

in hanc rem exempla. Videamus de classe Principum. *Aut*, inquit, *est Principis, qui hostis est, aut Amici. Hostis jure naturæ impediri potest.* Probat, quod nemo unquam negavit, & ea adfert, quæ non statuminent jus exigendi vectigalis. Quid de classe Amici? Id factum identidem reperitur. *Sic Rex Erythræus statuit neminem Egyptiorum in mare rubrum cum navi longâ ingredi posse, & Athenienses post pacem cum Barbaris initam, non modò eos cum armatis navigiis extra Cyaneas & Chelidonias navigare vetuerunt, sed & post prælium ad Salaminem extra Cyanæas & Phasidem.* Multa porrò noster congerit, quomodò Æginætis pollices præcisi, Lacedemoniis navigationis modus præscriptus ab Athenienſibus, Carthaginenses Romanis, rursum hi Carthaginensibus, Macedonibus, Antiocho, Illyriis, & quæ plura hujus farinæ. Respondeo planè hæc aliena esse, cum classibus armatis non soleant vectigalia imponi, de quo uno hic controversia est. Quod autem leges navigandi hostibus præscriptæ sint pace factâ, idque cum armatâ classe, huc non pertinet: cum probandum sit omnibus universim navigatione interdici posse. Transeamus quod dicit, *sub induciis Hollandos Germanico Oceano vetitos*, cum ne quidem Hispanico (de quo supra) vetiti sint. Notanda tamen hæc ejus incuria. At sodes, An persuadere nobis conarur, Regem Hispaniæ se pro domino Oceani Germanici habe-

haberi velle, & quia sic velit, mare illud in dominio esse posse? De Sueco quod addit, *quod pacem cum Cæsare facturus, maris Balthici dominium sibi adscribere voluerit, ut ex eo omnia armata navigia abduceret.* Si diceret, ut maris Balthici dominus fieret, ferri poterat; sed donec classis adversarii amota non esset, quomodo adscribere potuit sibi maris dominium, cujus possessor nunquam fuerat? Addit de Anglis, quòd *permittentes armatas classes navigare, exigant tamen in recognitionem maritimi Dominii, ut summa vela dimittant, si in Regias naves inciderint.* Verùm quid hoc ad probandum, vetari posse navigationē armatam? Quod ait, *terminos præscriptos à Rege Jacobo intra quos mare pacatū esset*, de hoc actum est, nec video quid opus sit his toties iteratis; cūm rem quæ agenda sit, non cōficiant. Ad inermem & pacificam navigationē tandem pervenit, & dicit, hanc quoq; aut interdici, aut vectigalibus portoriisque subjici posse; & sic probat. *Illam certè Carthaginenses Romanos ultra pulchrum promotorium exercere vetuerunt, non modò armatam, sed inermem quoque:* Nam *Polybius*, ait, *ideò illos hanc navigationem interdixisse, ne in Romanorum notitiam venirent loca Syrtibus proxima, quæ ipsi propter fertilitatem Emporia appellabant, ac proinde non modò armatâ, sed etiam inermi navigatione oportet Romanos fuisse prohibitos.* Sed aliud est, pace factâ, illud conditionibus inseruisse: neque enim hoc idem quod vetare, cum

ex

ex fœdere debeatur. Fœdere certè unuſquiſque juri ſuo renuntiare poteſt: etiam quod jure gentium competit. Quid? quod cauſſa hujus non fuerit, quod mare eſſet proprium ipſorum, ſed terra, ſive loca illa quæ propter fertilitatem *Emporia* ipſis dicebantur. Subjungit. *Sic Hiſpani omni prorſus navigatione ad Indos, arcent exteros.* Inter illos & Luſitanos convenit aliquando ex pacto. Quod ad cæteros, illos neque vi, neque jure arcere poſſint. Nam quod ad Hollandos attinet, ſecundùm tabularia fœderum componi atque exigi debet. *Dani* (vult) *ad Iſlandiam cæteraſque hyperboreas Inſulas navigationem impediunt, & niſi habito ab iis telonio prohibetur appulſus.* Quis negat Principem loci portu prohibere poſſe? Neque hic de portu Genuæ controverſia eſt, ſed de mari Liguſtico. Dani navigationem maris non impediunt, nec impedire poſſunt: ne quis autem portu ſuccedat, poſſunt. Et hactenus de vectigalibus nihil: de his ergo incipit. *Portoria autem & vectigalia, Athenienſes primi navigantibus impoſuiſſe dicuntur, captâ Chryſopoli, quæ ſolvebant illi qui in Pontum navigabant. Biſantii etiam omnes in Pontum navigantes vectigales habuerunt.* Ita omnino duo freta ſunt, quibus vectigal penditur: ut hoc, ita quod ad anguſtias maris Balthici eſt ad Sundam. Cum verò propter anguſtias, à terrâ cogi poſſint prætervigantes, miraremur potiùs, ſi non opportunitatem illam verterent in uſus ſuos. Neque tamen, quia maris domini erant, ſed quod Byſantii & Chryſopoleos, oras utraſque freti Helleſpontici: nam & antea maris domini erant: Nec, aut Byſantini unquam, aut Chryſopolitani maris domini dicti fuere. Ita & Romanos hoc fretum tranſeuntibus vectigal impoſuiſſe, narrat Procopius. Et hodie Imperatorem Turcarum idem exigere agnoſcimus. Cum autem nunquam extra hunc locum iidem Athenienſes, dum maris dominium obtinerent, aut ullos alios maris dominos tentaſſe conſtet, recta ratio non ſinat, ex hoc evincere velle, maris dominos univerſi, non modò qui ſint, ſed Principes quoſque, ſi cujus partis in mari dominium aſſequantur, vectigalia navigantibus imponere poſſe. Eſt quod ſtupeamus, cum aſſeverat *Burgus*, hos Principes navigationem interdicere poſſe. Eſt hoc ſanè multò plus, quàm ſit nuda vectigalis impoſitio: nam neque his, de quibus ſermo eſt, fretis, navigatio interdicitur. Quid! quod cum Rege Daniæ expoſtulatum fuerit, quod vectigalia augeret: imò bellum illatum, donec ita tranſactum ſit, ut ultrà quàm conventum fuit, amplius exigere non poſſit. Quod ſi tranſitu prohibere poſſet, ſanè, tantundem, quod longè excedat, conſequi poſſet. Sed videtur has leges *Burgus* non recepturus, qui navigationem per mare Liguſticum planè interdicere

cere velit, nisi licentiâ redimatur. Quod si eodem jure cum Rege Daniæ Genuenses velint, considerent mare Balthicum, quatenus Regi Daniæ obnoxium est, & non minùs sub dominio ejusdem Regis, quàm sit sub Genuensium dominio Ligusticum, navigari tamen à Lubecensibus, Suecis, Pomeranis, ultro citroque, nec tamen ullum vectigal Dano Regi dependi. Idem dico de Imperatore Turcarum, quòd à solis transeuntibus Bosphorum vectigal exigat. Cæteris maribus, cum tam latè maris dominus sit, nullum vectigal. Sed neque ratio patitur, medio mari ullum vectigal solvi. In fluminibus sunt excubitoriæ, quibus pendi possit, nunquam tamen factitatum audivimus: appulsus requiritur, navis, merces, inspiciuntur. Nemo unquam fando audivit, naves per Anglicum mare navigantes, compelli in Angliam appellere, ut vectigal solvant: rursum in Galliam, in Hispaniam, qui maria ista transit. Quod tamen facilius, quàm excubitorias in vasto mari reperire. Ut taceam, quòd pro excubitoriis se gerere possint piratæ, quorum causam egregiè *Burgus* defendit. Sed ineptus vereor ut ne videar, tam operosè respondendo: est tamen ut ne quid intactũ reliquisse videri possimus. *Romani* (dicit) *quoque mari rubro vectigal imposuerunt, ac deinceps eorum Cæsares portoria, & tributa à navigantibus exigere sunt soliti.* Quod de mari rubro dicit, fuit ratione

ratione Isthmi, qui inter Mediterraneum & mare rubrum est. Terrarum autem transitus vectigales esse nemo negaverit. Sic & Corinthii ab antiquo tempore mercibus imposuerunt vectigal: At quibus? quæ scilicet ad vitandum Maleæ flexum, terrâ de mari in mare transferebantur: non quia maris domini erant, quod nunquam fuerunt, sed quia terræ. Quod addit, Cæsares à navigantibus telonia exigere solitos fuisse, cum huic probando nihil alleget, dissimulare poteramus. Dicam tamen quod res est. Vectigalia nunquam soluta sunt, nisi ratione portuum, sive intrando, sive exeundo. Hoc ne constaret, noluit *Burgus* locũ extare. Quòd si urbs Genuensis merces quæ exportentur, quæve invehuntur, vectigalibus onerare velit, portus sui Domini sunt: neque necessè habent id sibi è maris arrogare dominio, quod antehac neque Cæsarum, neque Imperatorum ullus fecit. Audiamus porrò. *Nostris verò temporibus, Galli inter cætera Admiralio suo concedunt, ut capere possit in mari navigia, quæ frumentum, biscoctos panes, aliasque merces non permissas deferunt absque veniâ: atque insuper exigunt vectigalia: quod faciunt & Angli.* Frumentum & panes biscoctos ex Galliâ evehere non semper licet, nisi laxior sit annona: ex quo consequitur, extra illa quæ vetita sunt, libertatem relictam. Quòd verò vectigalia solvantur, ut & in Angliâ, respectu eorum quæ evehun-

tur, concedimus. Non quia mare ipsorum Dominii est, sed quia portus. Idem in arbitrio Genuensium est. Nunc ad Venetos. *Veneti quoque nostrorum armis & fame afflictâ Repub. mari Adriatico navigantibus vectigalia imposuerunt, Laurentio Theupolo Duce. Quo tempore lata lex, ad hunc usque diem servatur, creatusque magistratus, cum navigiis attributis, ne legi fiat fraus, diu noctuque utriusque littoris plagas portusque perlustrat.* Dum in portubus, in littoribus suis hoc agunt, utuntur jure suo, quis intercedat? Idne verò fit in portubus alienis? Bona verba *Burge*. Proba. Huc usque probatum nedum ut sit, nec quidem est creditum.; nec quoque habet speciem veri. Suo qui utitur jure, in neminem injurius sit: Ut sileam, ad littora non solere appelli, nisi vi tempestatis, aut per naufragium. Mare illud sinus est; sed nec ad angustias sinus arctemur. Tutantur jus suum, non consuetudine tantùm, sed & authoritate Imperiali, & pactis, quæ inierint cum Principibus vicinis. Miramur tamen (si credendum hîc *Burgo*, ut jurato testi) hoc illos acceptare potuisse, cum, quod vult, mari potiores essent Ligures, Venetiis ad famem redactis. *In summâ, (nam longum esset nimis eos recensere, qui à vectigalibus exigunt vectigalia) non imponi possunt Passagia, ut appellant, & tributa, quidquid dicant nonnulli, qui dominos maris hoc facere posse negant, cum iis juribus, quibus ipsorum*

rum opinio nititur, communi totius orbis usu derogatum sit. Paucis. Cum dicit iis juribus derogatum, fatetur hæc repugnare juri scripto. Miramur ergo, voluisse ipsum Cap. 14. Responsa prudentum & Imperatorum Rescripta non repugnare maritimo, quale quidem defendendum suscepit, dominio. Habemus ergo confitentem *Burgum*, quidquid de Dominio maris adstruere conatur, juri scripto repugnare; &, per consequens, toti antiquitati. Quod verò communem totius orbis usum pro se alleget, extra portus, extra fretum in Bosphoro mari, & ad Sundam in Balthico, & sinum Hadriaticum: confidenter dicimus, exemplum non prolaturum. Sed, inquit, longum nimis esset omnes recensere, cũ soleat tam multis ea firmare, quæ utrimq; sunt agnitissima. Hic longus esse debebat. Largiar: Longus ne sit, stet modo: stet solido: si non hoc, stet utcumque: versatur in hoc cardo rei: hîc specimen specitur: hîc certamen cernitur. Quod addit de naufragiis, est de facili ut transmittamus, ortum quippe ex littoris dominio, nec ultra exporrigendum, & abolitum quoque vel ipso fatente. Quid porrò. *Ii quoque, qui maris obtinent principatum, ne quisquam alius à navigantibus exigat vectigalia, præstare solent. Et cum Byzantii, ut modò dicebamus, tributum imposuissent, Rhodii, qui tum temporis mari dominabantur, universâ ferè refragante Græciâ, illud aboleri voluerunt.*

runt. Hæc ita dicuntur, quasi constaret eos, qui mari dominabantur, mare vectigale fecisse: & per consequens, Rhodios mare vectigale fecisse, imposito vectigali: At nunquam hoc probabitur extra portum Rhodiorum: Ut ipse *Burgus* proximè dixit, juri veteri usu derogatum esse, nimirum ratione dominii vectigalia ante imponi non potuisse. Et sanè qui sint Rhodii. Quod mirandum, universa Græcia sustinere ut poterat vectigal maris Rhodiorum esse? Dixeris, prævaluisse classibus. At Byzantini dominium Bosphori sui meliùs habebant in potestate suâ, cum haberent in utroque Euripo dominium: nec iis erant ullatenus potiores Rhodii. Dixeris, fuisse maris dominos. Quod vidimus, de gente in gentem Dominatus iste quam facillimè transmeabat. Videntur ergo minus Byzantinis tribuisse Genuenses in angusto freto, quàm sibi aperto in mari, ad imponendum vectigal. Toto mari non nisi semel vectigal imponi potuit, ut vult *Burgus*. An secundùm illum Genuenses Ducem Etruriæ inhibere poterunt, ne tantundem exigat in mari suo? Pontificem, ne in suo? Regem Hispanum, ne in Neapolitano? ne in Siculo? Alios itidem, qui non minùs, imò plus sibi maritimi dominii merito jure adscripserint? Responderit, dubio procul, præstituros Genuenses, ne quis alius tributum exigat in Ligustico. Atqui scire debuit, tẽpore illo, quo maris

maris imperium Rhodii tenuerũt, circa oras Peloponnesi, totius Græciæ, ac Macedoniæ, Asiæ quoq; ac tot insularum, unamquamque gentem maris sui dominos fuisse. Nam licet Rhodii universim mari prævaluerint, cæteri tamen, cum neque terrestres, neque maritimæ vires deessent, facilè sui quisque maris dominium tutati sunt. Distincti sunt quippe ab universo, cuicumque fines sui. Ita modò citantem *Burgum* audivimus, Argivos questos, quòd Athenienses Lacedæmoniorum classem præternavigare promisissent per fines suos διὰ τῆς ἑαυτῶν, ut Thucidides loquitur. Itaque cum tot gentes oras maritimas possiderent, quarum unaquæque tantundem in suo territorio posset, quantùm Genua in Ligustico: tamen tota Græcia voluit Bytinos vectigal freto suo imponere. Quantò minùs id passi fuissent, si qua gens in aperto mari vectigal imposuisset? Quid ergo, si unaquæque gens id in suo mari fuisset imitata? Quis non videt intercluſum protinus omne mare fuisse futurum, & commerciorum omnem rationem sublatam? Quòd verò Rhodii ante alios sese opposuerint, caussa fuit, quòd commerciis sublatis, ipsorum res agebatur: cum Rhodus emporium esset toto orbe celeberrimum. Hinc Rhodiæ leges circa commercia; Item, De Jactu: ut etiam in Jure Romano Lex Rhodia appelletur, quidquid versatur

circa

circa controversias maritimas: ut nulla legis præstantia, ei æqualis putaretur. Hinc Strabo lib. 12. c. 14. latissimè demonstrat, quod legum æquitate, & navalis rei peritiâ, adeo valuerit, ut annis multis maris imperio potiretur, & piratarum latrocinia sustulerit. Hinc Gratianus in Decretis Pontificium, dicit Rhodias leges navalium commerciorum, à Civitate Rhodo nominatas esse. Quod verò Rhodus mare vectigale fecerit, nihil est, quòd nos vel suspicari id faciat. Tollunt se hæc mutuò, ex commerciis invalescere, semelque ac simul invalescere ex vectigalibus. Illa liberum mare requirunt: hæc intercludunt. Itaque quod ultimo loco sepositi *Burgus*, ipsum vel maximè redarguit. Et hactenus quidquid pro potestate prohibendi maris, ac imponendi vectigalia, proferre potuit, vidimus. Addit quædam de piscatu. Verba sunt. *Quod ad piscatum attinet; eodem fermè jure censetur, quo navigatio: nam & piscari potest Princeps prohibere in aliquâ maris parte, vel illud vectigale facere, ut venationem in terris: cum nihil aliud sit piscatus, quàm venatio in mari. Sic à Romanis quondam maris portiones fuere concessæ, in quibus, exclusis aliis, soli piscarentur. Et Leo Imperator modum his privatis piscinis præfinivit.* Oberrat, ut semper, eâdem Noster lineâ. Sunt jam nunc antehac excussa piscandi jura. Cum verò *Burgus* navigationem & piscationem credat eodem jure

jure censeri, si sibi constare voluisse, dicere debuisset, in *quâcumque parte maris* Princeps prohibere potest: nunc substituit, in *aliquâ parte maris*, cum navigationem prohiberi posse, quàm absolutè dixerit: quam hic eodem jure vult censeri. Hoc ut probet, allegat. *l. Venditor fundi. ff. Comm. præd. & l. sanè.* quas supra vidimus. In illa venditor sub conditione vendidit, ne piscatio exerceretur. At, respondet Ulpianus, quamvis mari, quod naturâ omnibus patet, servitus privatâ lege imponi non potest, bona fides tamen exigit, legem servari. Meritò quis hîc in *Burgo* requirat bonam fidem, qui affirmat, Principem posse prohibere piscationem, aut facere vectigalem. *D. l. Sanè*; ponit aliquam partem maris factam juris privati, non meminit indulti Principis: & aliunde discimus unumquemque projectâ mole quantùm occupare potest, suum facere. Venatio in terris tempore legum Romanarum libera erat, ut piscatio. Principes moderni eam suam fecerunt, non tam emolumenti caussâ, quam voluptatis; Itaque, ut venatio vectigalis reddatur, hactenus inauditum est. Fac tamen esse, piscatio in privatis piscinis, ut quondam, septo maris angulo ad voluptatem fieri posset: in aperto mari voluptatis gratiâ non exercetur. Non ergo eam Principes sibi reservant: Ut locent, ut vectigal imponant, hucusque audire non contigit. Esset talis

impositio non tam piscatoribus gravis: quàm populo. Augeretur aut pretium, aut illo non aucto, neque adsint quibus piscari lubeat: in idem recideret, siquid ex præscripto suo hic vellet Princeps. Quæcumque in contraria sibi venter esuriens agnoscit decerni; habet pro nullis. Sed non contentus hôc *Burgus*, imponi vult: ut libertatem maris quoquo modo tolleret. Allegat, cum se ab omnibus exemplis videat destitutum, ex constitutione Leonis Imp. modum privatis piscinis præstitutum, sed illâ lege; in hanc finem: ne se mutuò impedirent. Quid hoc ad vectigal? Atqui addit: *Legimus quorundam piscium capturam non permissam.* Agnosco: & ideo raritas retium præscripta, ne totum mare exhauriretur, sed propagationi consuleretur. At enim noster Mediterraneo relicto, in Oceanum fertur. *Angli quoque halecum piscatum non nisi cum tributo concedunt.* Primùm rogo, quid illud, *quoque*, sibi velit, cum nullius tributi exemplum allegaverit? Respondeo verò, Anglos hactenus pro tributo halecum ne teruncium recepisse. Exactum quidem aliquoties, sed negatum hactenus. At nec hic agitur de modico, qualis piscatio in Ligustico, cum in hâc supra bis mille navium, duodecim, & longè quod excurrat, hominum millia occupentur. Neque tamen in hâc cum Anglis controversiâ, ipsius *Burgi* judicium recusabimus: dixit enim, ei

ei tributum deberi, qui mare liberum à prædonibus præstet. Hollandi suis ipsorum classibus piscatoribus hactenus securitatem præstiterunt: tùm à prædonibus; tùm ab hoste; eo que potentissimo: Anglis quin & ab ipsis. Dixit præterea, dominium hoc induci per longi temporis usum. Vectigal persolutum est nunquam. Piscatio ab Hollandis exercita est extra hominum memoriam. Itaque miramur *Burgum* hujus piscationis audere memoriam facere. Exemplis quatenus res confici potest, ipsi exemplum liberæ piscationis, cujus & fructus uberrimus sit, habemus. Non dissimile exemplum est, quod propè Norvegiam grandiorum piscium captura sit iisdem Hollandis, quorum proventus, per totam Europam, quà navigabilis, defertur. Omnibus id prodest, quod vectigal non dependatur. Si ageretur ex *Burgi* sententiâ, damnum caperent omnes, quotquot halecibus, cœterisque, sale, sole, fumo siccatis, conditis, frui volent. Alterum argumentum nostri. *Cœte quoque aliique grandiores pisces in littus ejecti, non occupantis fiunt, sed fisci.* Agnoscimus. Est hodie littus in dominio Principis itidem, ut ejicitur in littus, succinum. Quoad Corallia & margaritas, legem non habemus. sed neque usum. Quod si quis locus est, quò reperiantur, si cum magno proventu; facilè credo Principem proximi littoris, aut quicumque plurimum possit, occupa-

cupaturum. Interea perpendat secum *Burgus*, an si ipse reperiat, dominio maris redditurus sit. Nullus dubito, quin mutaturus sit sententiam, ut intelligat, quæ nullius sunt in bonis, fieri occupantis, idque naturali jure. Sed ad Nostrum. Ut paucis expediam; vel ipsâ concedente Satyrâ: *Quidquid conspicuum est, pulchrumque quod æquore toto, Res fisci est, ubicumque natat: Ideoque non nisi cum domini veniâ indagari corallium atq; extrahi permittitur.* Bellè: *Vel psâ Satyrâ*, quasi nullâ, major autoritas. Nõ opinor *Burgum* tam bardum, ut opinetur hæc dicere Juvenalem ex suâ sententiâ. Ineptius nihil: Arguit tyrannum; calcat tyrannidem. *Et tua servatum consume in sæcula Rhombum.* Ipse voluit. Aderant delatores: verebatur. *Fugitivum piscem, depastumque diu vivaria Cæsaris: inde elapsum, veterem ad dominium debere reverti. Si quid Palfurio, si credimus Armillato. Quidquid conspicuum*, &c. Absit ut infra Palfurium, infra Armillatum, ego *Burgum* ponam: agnovi eum, ut ut mihi ignotum, bonæ mentis candidatum, styli tersioris. Plura non addam. Instituat hanc ipse comparationem. Fecerit plus satis. Veniamus nos ad meritum pœnæ. Dicimus in terrâ nulli, nisi à Principe loci, pœnam rectè infligi, aut ritè. Atqui confitetur toti humano generi justas pœnas dare, persolvere, quoscumque prædones & piratas. Adeoque (si quod illud) in mari alieno. Non aliud

aliud magis, validius, perennius argumentum. Quin jam mare sit commune, quin gentium, si in gentes peccatur, è quibus humanum genus consistit; eædem si pœnas exigunt, dependendas sibi, totum humanum genus læsum, convulneratum, suo, id est gentium jure vindicaturis? Quem hìc Principem humano generi, eumq; & unum, & toti cum imperio præfectum, tandem damus? Sint, sua mari jurisdictio, Princeps etiam suus: imperium terrestre nunquam æquaverunt. Piratas præveniisse summum sit: Hinc mari suum tutamen. Terra vult Reipublicæ tutelam communem, illam cum communi in bonum commune sponsione conjunctam. Recocta à *Burgo* de summi veli demissione; exire ut liceat peto. Respondi, satisfeci, negando saltim, id nequaquam agniti superioris dominii esse argumentum. Sic Noster ulteriùs. *E contra autem maris dominus tenetur illud purgare, & tutum reddere, ac securum à piratis, subditosque defendere, ac navigationem juvare per ignes nocturnos, ac brevium signa.* Quod de nocturnis ignibus, & brevium signis dicit, nullus horum usus in aperto mari: plurimus in ingressu portuum. Horum autem respectu impositio solvi solet. Atqui non de ingressu portuum disputamus, sed de navigatione maris. Qui impensas contra piratas faciunt, primùm littora sua custodiunt. Quatenus negotiationem tutam præstant, hoc ex illâ

emolumenti trahunt, quod urbes ac portus ſuos frequentent, qui marè navigant. Inde commercia, & ea vectigalia, quæ ſolvuntur in portu. Accedit, quod piratæ, qui mare Liguſticum infeſtant, parvis navigiis ferantur, ut poſſint latitare: & fere iis inſidiantur, qui ſecundùm littus ita navigant, ut nocte naves in littus ſubducant. (Itali vocant *terra à terra*,) Nullum periculum creatur iis, qui ex Oceano per fretũ Herculeum intrarunt: minimè Hollandis, quorum naves non quidem bellicæ ſunt, armatæ tamen hactenus, ut ab uno piratâ, ejuſdem tamen cum ipſis magnitudinis, capi non facilè poſſint. Et quidem cum non ſinguli ire ſoleant, ſed in ſocietate, Admiralium ſibi faciunt, omniaque ita diſponunt, ac ſi per infeſtos hoſtes tranſeundum ſit: quos imprimis ex oris Africanis expectant. Hoc mari ſuperato, poſtquam in Italiæ conſpectum ventum eſt, non amplius hoſtes expectant, ſed latrunculos: à quibus ſe ſatis ſecuros arbitrantur. Itaque, quæcumque in Italiâ excubiæ ſunt adverſus piratas, non ſibi arbitrantur prodeſſe, verùm oris Italiæ. Et, quod dicebam, tamen ſicubi portus ſubeunt, ſolvenda ſunt ipſi portuum jura.

Et hactenus quidquid à *Burgo* prolatum eſt Libro ſuo priore, ita examinavimus, ut ſicubi à veritate, æquitate, jure, deflexiſſe viſus eſt, indicaremus, convince-

remus

remus, & veritatis regulam exploraremus: adeo ut nihil, quod alicujus momenti videbatur, intactum reliquerim: Ex quibus ſatis ſuperq; liquere confido, ei qui abſque ſtudio partium veritatem in pretio habet; mare datum eſſe generi humano, ad communem uſum gentium inter ſe: ut mutua aliarum copia aliarum inopiæ ſuccurreret: qui uſus diviſione maris factâ, & unoquoque partem ſuam ita tuente, ut niſi ſibi ſatisfiat, tranſitum negare poſſet; ſublatus eſſet, ſublata commercia, rupto fœdere generis humani. Dominatum quidem maris introductum, ut maris communis: cujus dominii fructus in conſervandâ communi omnium libertate. Hæc ut omnibus ſalutaris, ita quoque Dominii Maris comprimis eſt utilis. Hujus doctrinæ teſtes videmus, Politicos, Hiſtoricos, Poëtas, & imprimis Juriſconſultorum Reſponſa, & Reſcripta Principum. Uſum denique communem, uſq; ad hodiernum diem. Quidquid verò pro contrariâ ſententiâ afferri poſſit, eſſe futile, & nullius momenti. Itaque nos abundè ſatisfeciſſe confidimus ei, qui unius veritatis ſtudio tenetur.

Nemo expectet à Nobis, ut ad ſecundum *Burgi* Librum reſpondeamus. Soſpitet fœliciter Remp. Genuenſem Deus. Ipſi auſta apprecantibus fauſta ſint omnia, cedant proſperè. Divini Humanique juris intelli-

telligens mens Sereniſſimi Ducis impleat pectus. Totum Republicæ corpus ille Amor regat, quo regitur & cœlum, cœlo ipſi imperitans. Liceat per illam iis eſſe illibatis, intemeratis; quæ libari, temerari noluit Deus: noluit Natura, quam recta ſemper ratio juxtà & conſulit, & obſervat.

FINIS.